JANSENII DOCTRINA EX THOMISTICÆ THEOLOGIÆ PRÆCEPTIS, ATQUE INSTITUTIS...

Giuseppe Sanfelice

JANSENII DOCTRINA

EX

THOMISTICÆ THEOLOGIÆ
Præceptis, atque Institutis
Damnata

AUTHORE
JOSEPHO SANFELICIO
Societatis Jesu

OPUS

BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO
DICATUM



NEAPOLI, MDCCXXVIII.
Typis Stephani Abbatis
SUPERIORUM FACULTATE.

BENEDICTO XIII.
PONTIF. MAXIMO.

STat tandem, postquam animus diù anceps hæserat, sententia, ut ad tuos, Pater Beatissime, pedes hu-

millimè provolutus, hoc, quid quid illud est, muneris offeram. Neque verò is sum, qui non viderem, argui me posse temeritatis, si tenuem adeò libellum ausus essem offerre tibi, tuoq; Nomine inscriptum in lucem prodere. Sed tandem speravi fore, ut, si suscepti consilii causas aperiam, qui rem ipsam attenderint, satis intelligant, me non justis tantummodo, sed etiam maximè necessariis causis in hanc mentem venisse. Id enim agitur; ut clandestinæ machinationes, quibus

a se-

à ſeptuaginta ampliùs in hanc diem annis factioſi homines adverſus Summorum Pontificum decreta, profligatos iterum, iterumque errores tueri poſſe ſe tutò exiſtimant, ſemel in aperto ponantur, pateatque tandem aliquando, quid inde malorum Fidei Catholicæ timendum ſit. Quæ Romam de ejuſmodi hominibus querimoniæ ſæpè delatæ fuerint, quàm malo dolo Sanctiſſimis Eccleſiæ decretis ſæpiùs illi interceſſerint, quantas ubique turbas excitaverint, nemo quidem eſt, qui aut non

in-

intelligat, aut non doleat. Sed nihil æquè dolendum censeo, quàm; quod inita ab ipsis jam pridem consilia, in quæ omni operâ, atque studio diù incubuerunt, hoc demum tempore, quò spectaverant, penè jam perduxisse videantur.

Equidem dolebam animo, Beatissime Pater, ac vehementer angebar, quod & omnibus bonarum partium studiosis accidisse non dubito, malis illorum artibus persuasum fuisse non paucis, vel doctrinam de Gratia per se efficaci, quam Dominicani Patres docent,

latis

latis contra Janſenianam cenſuris affici; vel ſi altera ab ijſdem intacta ſit, nec alteram tangi. Quin non aliud agi per Impugnatores Janſenii, & nuperrima S. Sedis decreta, niſi, ut Societatis Doctrina Catholicos inter Canones, contraria verò, quam Auguſtinianam, atque Angelicam eſſe ajunt, inter hæreſes referatur. Quaſi verò eos fugeret illa verborum tuorum ſententia, quibus graviter affirmas, laudi dandam Dominicanorum Patrum juſtam offenſionem, quòd erroribus à

Clem.

Clem. Pap. XI. per constitutionem quæ incipit, Unigenitus Dei Filius, saluberrimo, & sapientissimo judicio rejectis, damnatisque, Augustinianæ, & Angelicæ doctrinæ nomen obtenderetur. Sed tamen prædicare ista Jansenianos minime pudet; cum enim fraudibus suis, dolisq; in multorum animos eadem instillaverint, tum magnam sibi conciliant gratiam, tum, non levia interserunt offensionum semina, querelarumq; causas inter præclarissimum Prædicatorum ordinem no-

stram-

ſtramque minimam Societatem. Atque hinc duo præterea conſequuntur: nam primò cauſam ſuam optimo, quo poſſint loco, conſtituunt, deinde efficiunt, ut neutrius ſcholæ impugnationem magnoperè pertimeſcant, cum ſimulantes conſentire Thomiſtis altera minùs velit, altera minùs poſſit hæreſeos redarguere. Ita fit, ut ipſi laudatiſſimæ inter Catholicos Theologiæ obtentu deliteſcant impunè, ſuique erroris turpitudinem celent. Nam, ut verbis utar, Auguſtini in Jul:

obtendunt ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operiant proprium crimen. Hinc unum pro alio videre homines, hinc perpetuæ increbrescere Clericorum rixæ, hinc eruditiores studia in contraria discedere, simpliciores autem in ipso salutis negotio nescire prorsus, quò se vertant. Quæ quidem omnia nemo non videt quantum obsint causæ Religionis.

Præstat ergo, tam densas calumniarum tenebras veritatis luce dispelli. neque verò id aliâ quâvis ratione me-

bus

lius fieri potuisse crediderim, quàm si Jansennii Doctrinam exhiberem ex Thomisticæ Theologiæ præceptis, placitisque damnatam. Quodque caput est, alienis, non in speciem, sed ad fortiter pugnandum instructus armis, mearumq; in Schola partium planè oblitus (judicii quippè in definiendo gravitas, & solers in disputando exercitatio, quàm longissimè discrepant inter se) Sacerdotum quidem omnium è Societate Jesu minimus, ejusdem tamen Societatis Sacerdos exhiberem. An fide id

sincerâ præstiterim. An ex vera scripserim animi sententiâ tùm Dominicanæ Familiæ magistrorum, quorum oculis opus subjeci, tùm deligendorum Patrum, qui omni erga Romanam Ecclesiam officio, nulloque partium studio teneantur, tùm denique summæ in primis, quæ tua est, Beatissime Pater intelligentiæ, atque authoritatis, arbitrium esse volo.

Hæc igitur cum ità sint in eo, quod Sanctitati tuæ libellum hunc offero, non tam

munus dare, quàm quod tuum est debitum reddere jure videar. Nam primò cum Janseniani erroris ab opinione Thomistarum discrimen explicandum sit, discutiendaque præcipua capita, quæ ad Orthodoxæ doctrinæ pertinent integritatem; an non lucubrationem hanc sive asserendam, sive corrigendam tibi offerrem, qui in clarissimâ Divi Dominici Familiâ institutus, & præceptis Angelici Doctoris excultus, quàm eadem abundè tenes, tam amanter tueris, & qui preterea

ejus-

ejusmodi controversiarum Judex ab ipso Deo es constitutus? Deinde, qui me addixerim Societati, quæ professione suâ, tota, quanta quanta est, Apostolicæ Sedi sit voto addictissima; an non etiam labores, meos, omnes, eorumque fructus, qualescumque forent, ut in solo tuo natos, tibi deberem? quid quod ejus causæ Patrocinium suscepi, quæ nullo non nomine Tua est? de calumniis enim agitur, quibus tuæ Sedis inimici Tuos Dominicanæ Familiæ Alumnos divexare desinent. An non hæc

vel

vel ſola ratio poſcebat, ut ne in aciem contra Adverſarios, niſi tuis auſpiciis prodirem? Poſtremò cum illud etiam mihi propoſitum ſit, ut ſiqua inter præſtantiſſimum D. Dominici, noſtræque Societatis ordinem offenſio intercesserit, quæ certè ex aliorum invidiâ intercessit, ea de medio tollatur; hujus mei conſilii ſucceſſum cujusnam ſperem operâ niſi tuâ, qui Dominicanæ Familiæ ab Adoleſcentia Filius ornatiſſimus, Societatis amantiſſimus; Idemque Patronus beneficentiſſimus, nunc tan-

dem

dem utrique Ordini Paſtor ; & Pater de Cœlo datus, eos paternâ charitate complexus æternæ pacis fœdere conjungi velis.

His accedit, quòd opus, meâ anteà ſponte, ſuſceptum, ut perficerem, Ipſe mihi ſtimulos addidiſti literis ad Angelici Doctoris Diſcipulos, atque in Thomiſtica Scholâ magiſtros nuper datis, quibus non ſolùm eos hortaris, ut Divi Thomæ Doctrinam tueri naviter porro pergant: ſed eum etiam maximè ob finem pergant; quòd S. Thomę exploratiſſimis ſen-

tentiis

tentiis damnati errores disertissimè confutantur.

Hinc autem vix dici potest, quantò sim factus ardentior ad quod constitueram, exequendum. Catholicamque Thomistarum Scholam ab illatis impudenter, injuriis ita vindicandam; ut laudatissimis à Te D. Thomæ præceptis, Jansenii hæresim insequi instituerem. Quid enim vererer jam, ne aut à recto deflecterem cui viam tu præmonstrares? aut minus probarer aliis, qui suffragii tui quodammodo ferrem prærogativam?

Gravibus ergo literarum tuarum ſententiis,& argumento, ſummâ, ut decet, Religione inhærens, Deo benè juvante, id unum moliar, ut ſentiant Janſeniani, ſe, omnia agendo, quò in erroris ſui communionem Angelicæ Scholæ Doctrinam pertrahant, nihil agere; cum apparuerit, Janſenii hæreſes, eâdem illâ, quam ipſi pro ſuâ perperam traducunt Thomiſtarum Doctrinâ labefactari; Id verò planiſſimum fiat, ſi utriuſque partis Aſſertiones verè,& dilucidè in medium propoſitæ, & à verborum ambagi-

bus

bus explicatæ, inter se comparabuntur. Ac tùm porrò noverint Catholicæ Theologorum Academiæ, planèq; perspexerint, juratam Jansenii factionem perinde Societatis, ac Thomistarum Theologiæ esse infensam, eo tantum discrimine, quod illam quidem apertè impugnant, hujus tamen tantò perniciosiores existunt hostes, quantò se fraudulentiùs amicos profitentur.

Signum ergo, Beatissime Pater, tuis illis literis ex celsissimâ istâ speculâ, atq; arce Religionis sustulisti, quo accepto, quot-

quot stamus prò bona causâ, erecti sumus, ut in defensionem veritatis, apertæ quidem antea, per te tamen jam multò clariùs illustratæ, adversus hostes ejus pugnemus, non victoriam modò, tuis hisce auspiciis, sperantes, sed etiamdiù desideratum victoriæ fructum, Pacem Ecclesiarum*; nec levis erit conceptæ spei causa, quod Romanæ Sedis defensoribus, te Parente, te Duce, suis non accedere auxiliis non poterunt, Magna (non enim desunt) horum ordinum Lumina: momentum ingens, cum ad gli-*

scen-

ſcentem peſtem exterminandam concordibus ſtudiis conſpirarint.

Atque hæc cum, non ſine Dei numine, divinoque quo ad fideles erudiendos ageris, ſpiritu, feliciter evenerint; quàm prope moti in Eccleſiâ, *quos exhorruimus, fluctus non placeant! poſt quam Tu admirabili illos Conſiliorum tuorum providentiâ, conſtantiſſimâque animi fortitudine tandem compoſueris.*

Miratus ſæpè ſum fateor, quod devexâ jam ætate Chriſtianæ Eccleſiæ *Arbiter tandem*

Se-

Sedens ; quòdque sui voti jampridem concepti universus Terrarum, Gentiumque Orbis nonnisi longo, post tempore compos fuerit effectus. Noverant quidem profectò præcipuæ per Italiam Ecclesiæ, in ante actâ sedium administratione, quæ per Te fuerant, ipso quinquaginta annorum spatio, res optimè gestæ: quot, quantique momenti de Christiana Rep. merita; quibus Præsul hoc nostro ævo laudatissimus virtutum ornamentis splenderes; nec latere poterant sive generis, sive corporis, sive animi dotes

egre-

ægregiæ; Quis enim non iis omnibus te cumulatum sciret? stuporemque Neapolitanæ præsertim Provinciæ suum testabantur, cum cernerent, vix passibus peragrari potuisse Diœcesum Ecclesias, quarum integrum, perfectumq; statum vigili semper invictâque providentiâ, aut restitueras, aut confirmaras, humeros, viresque præ te ferens nullis non laboribus in tota sustentanda Ecclesia pares. Quamobrem Romanorum Patrum Senatus hæc intelligens, non semel ante hac ad supremam Ecclesiam regimen

desi-

designare potuisset: Nihilò tamen minus Fidelium expectationi dilata diù spes fuit, tuaq; multis ante annis cumulatissima merita dignitatem hanc, quæ divinâ tantummodo minor est, in hanc tandem diem expectarunt. Latebant quidem me altiores dilationis causæ, neque penitiora Consilia comprehendere satis poteram. Verum enim verò demirari jam desinam: sic enim existimo, Pontifex Beatissime, tibi quidem ea omnia, quæ in te sunt eximia, ad summam hanc Sacerdotii authoritatem iter jamdiù adornasse: divino

tamen

tamen Consilio factum esse, ut in hæc atque etiam difficillima Ecclesiæ Romanæ tempora maximè reservaveris; quippe qui non potestate solùm, quâ proximè accedis ad Deum, sed etiam Sapientiâ, industriâ, animi magnitudine, exporrectâ vigiliis, mentis acie, studio veritatis acerrimo, concordiæ Ecclesiarum curâ, omnibusque erga universum Fidelium gregem officiis, communi bono prodesse plurimùm potes. Tibi sanè ante omnes præsertim inest ardor ille animi, studiumq; ad profligandas hæreses vehemens, quod

d ab

ab optimo Parente hauseras, & quo strenuum, atq; experientem sacræ Militiæ Ducem Ecclesiæ universæ te probes; tuam maximè lux illa, Aquinate Magistro, mentem irradiat, quâ rectum à pravo discernas, præcaveasq; ne quod infectum est, serpat tacitè, quò scilicet occultiùs eò graviùs nociturum: tandemque tuum est, ecquis tuum esse non videat? in omni Ecclesiæ periculo, rebusque peragendis maximè arduis, invictum illud animi robur, quo tuis præsentem consiliis Deum probas.

Perge porrò Pontifex Maxi-

mis

me, atque tam feliciter cœpta felicissimè perfice: sic tibi fausta succedant omnia. Sic te Deus regendis Sacrarum rerum habenis incolumem diù servet. Quod mihi ista supplicanti modò superest, maximèq; cupio, illud jam modestè rogo, ut æquo, meum hoc opus, animo accipias, operisq; Authorem tuo tegi Nomine, *foverique patiaris. Nihil sanè in utroque comperias, quod non optimo, meritoque jure contemnendum arbitrere; Sed tamen opus idem, cujus modo argumentum, & propositum candidè ex-*

plicavi,

plicavi, tutelam, & patrocinium à te non finè causâ sibi poscit, cum tuum veriùs videatur esse, quàm meum: me verò Authorem scis ex ea esse Societate, quam singulari providentiâ prosecutus tuis maximis beneficiis devinctam, tibique officiis omnibus devotam semper habebis. Duo haec, neq; enim aliis fidere audeam, nomina si attenderis; quin me, laboremque meum benignissimè respexeris, nullus dubito.

Humillimus, Addictissimus, atque Obsequentissimus Famulus
Joseph. Sanfelicius Soc. Jesu.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

STefano Abbate pubblico Stampatore di questa fedelissima Città supplicando espone a V. Em. come desidera dare alle Stampe il Libro intitolato *Jansenii Doctrina, ex Thomisticæ Theologiæ Praeceptis, atque Institutis damnata Benedicto XIII. Pontifici Maximo dicatum Opus, Auctore Josepho Sanfelicio Societatis Jesu* per tanto supplica la Em. V. di commetterne la revisione a chi meglio li parerà, ut Deus.

R. P. D. Cajetanus del Pezzo Cler. Regul. Examinator Synodalis revideat, & referat. Neap. 20. Octobris 1726.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

EMinentissimi Domini Cardinalis Archiepiscopi mandatis humiliter obsequendo, Opus accuratè, sedulòque perlegi, cui titulus *Jansenii Doctrina ex Thomisticæ Theologiæ Præceptis, atque Institutis damnata Benedicto XIII. Pontifici Maximo dicatum Opus, Authore Josepho Sanfelicio Societatis Jesu*, obtestorque stare promissis Authorem, eaque, fide tùm Divinâ, tùm humanâ præ oculis habitâ, servare. Cum amicos velint, quos timent Inimicos Jansenistæ, celeberrimam Thomistarum Scholam, Calviniano more, communem sibi facere audent; ut sinè hoste vincant, quos hostes superare non valent; sicque perniciosæ Institutionis contagium, si fieri possit, transeat de gente in gentem, & de Regno, ad Populum alterum. At quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ Societas luci ad tenebras. Thomisticam Doctrinam Summi Pontifices, Academiæ, universus Orbis laudant; meritòque de illa sic loquitur Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. hodie feliciter regnans, regnabitque Deo dante felicitèr, ad Fratres Ordinis Prædicatorum, *Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas senten-*

tiis vestris de Gratia præsertim per se, & ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad Gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, & quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino, & Thoma se hausisse, & verbo Dei, Summorumque Pontificum, & Conciliorum decretis, & Patrum dictis consonas esse, Schola vestra commendabili studio gloriatur. At Jansenianos errores Summi Pontifices, in quibus Petrus locutus est, ut Leoni Primo acclamabat quarta Synodus, suprema, qua pollent, Apostolicà auctoritate iterato Anathemate damnarunt, universaque detestatur Ecclesia. Inter utramque Doctrinam Thomisticam scilicet, & Jansenianam mira eruditione discernit Auctor, ac patentissimo dato discrimine distinguit, ostenditque Jansenii Doctrinam per Thomisticam penitùs dissipari. Laudabile sanè Opus, fidei, ac veritati consonum, atque Angelicà doctrinà firmatum, prælo dignum censeo.

Neapoli in Ædibus S. Pauli 7. Idus Septembr. 1727.

D. Cajetanus Maria del Pezzo Clericus Regularis Sacræ Theologiæ, ac Sacrorum Canonum Professor, ac Examinator Synodalis.

Attenta supradicta Relatione Imprimatur. Neap. 22. Maji 1728.

D. ANTONIUS CAN. CASTELLI VIC. GEN.

D. Petrus Marcus Gyptius Can. Dep.

EMI-

EMINENTISSIMO SIGNORE.

STefano Abbate pubblico Stampatore di questa fedelissima Città supplicando espone all' Em. V. come desidera dare alle Stampe il Libro intitolato *Jansenii Doctrina ex Thomisticae Theologiae Praeceptis, atque Institutis damnata Benedicto XIII. Pont. Max. Maximo dicatum Opus, Auctore Joseph Sanfelicio Societatis Jesu* per tanto supplica V. Em. di commetterne la revisione a chi meglio li parerà, ut Deus.

Rev. P. D. Cajetanus de Mari videat, & in scriptis referat.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg. PISACANE Reg.
CRIVELLI Reg. THOMÆ Reg. VENTURA Reg.

Provisum per S. Em. Neap. 21. Octobris 1717.

Ill. Miro absens. *Mastellonus.*

EMINENTISSIME PRINCEPS.

JUbenti equidem Tibi E. V., libenti animo parens, librum legi, quo *Doctrina Jansenii ex Thomisticae Theologiae Praeceptis, atque Institutis damnata* ostenditur à P. Josepho Sanfelicio Societatis Presbytero eâ sanè mentis, consiliique felicitate; ut minimè potuerim bonis omnibus non gratulari actiorem illius, ingenuamque solertiam, qua se integrum servans, longè à suis, alios probè jam assequutus, est pari Religione prosecutus Thomisticos sensus, quibus tandem abuti per summam hodiè fraudem solent Novi Dogmatistæ ad suæ præsidium causæ telis profligatæ non semel Apostolicis: quid igitur illorum inter, atque illorum Institutiones vere adsit discriminis, quique priorum ingenti posteriorum pondere ruant, eleganti, robusta ac sincerâ cum ita explicet oratione, ut Regni nihil omninò detrahat juri, literariis dignum censeo typis, si E. T. annuerit. Datum Neap. xi. Kal. Decembris MDCCXXVII.

E. T.

Obsequentiss. & Addictiss. Famulus
Cajetanus Mari.

Visa relatione imprimatur & in publicatione servetur R. Pr.

MAZZACCARA Reg. ULLOA Reg. PISACANE Reg.
VENTURA Reg.

Provisum per S. Em. Neap. 21. Maii 1728.

Ill. Miro absens, *Mastellonus.*
Cæteri Spect. Reg. non interf. Ml.

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis JESU:

CUM Librum, cui titulus: *Jansenii Doctrina ex Thomisticæ Theologiæ Præceptis, atque Institutis damnata: Auctore P. Josepho Sanfelicio*, Societatis nostræ Sacerdote, aliquot nostræ Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut Typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur; cujus rei gratiâ, has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 11. Februarii 1728.

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Locus ✝ Sigilli,

PRO-

PROLUSIO

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS PROLUSIONIS.

1. *Mira Controversiæ, quæ instituitur, ratio.* 2. *Longè secùs fuit superiori sæculo ferè eadem pertractata.* 3. *Diuturna disceptatio tenebras, nec lumen afferebat.* 4. *Romam delata causa.* 5. *Novi ex Innocentii Decreto rerum tumultus.* 6. *Jansenistarum consilium de verborum ambiguitate, facilique, ut putant, sensuum multiplicium distinctione.* 7. *Roma iterum consulitur.* 8. *Vulgatissima Juris, atque facti distinctio.* 9. *In unicum Gratiæ ex se efficacis Caput dolo malo devolvitur Quæstio.* 10. *Ex aliarum sententiarum affinitate multas sibi Adversarii utilitates comparant.* 11. *Quid cau-*

a

sæ fuerit, cur optimè res, atque è sententiâ succesſerit. 12. *Quò tandem his successibus ipsi processerint.* 13. *Præsens difficillimæ causæ status.* 14. *Quantum sit in illâ peragenda periculi.* 15. *Quamobrem Jansenii confutatio ex Thomistarum præceptis suscepta fuerit.* 16. *Operis divisio.* 17 *Jansenianæ Theologiæ enarratio, primo contenta libro: libro altero Thomistica enarratur: tertio utriusque parallelismus instruitur: quarto proponuntur argumenta, quæ rem efficiant. Quinto, & postremo libro respondetur eorum argumentis.* 18. *Rem totam rationum vi, nec jurgiis exequendam.* 19. *Arcendum his quæstionibus esse imperitiorum vulgus.* 20. *Cur, sermo paulò concinnior, quàm Scholasticæ res postulent.*

PRO-

PROLUSIO

Tandem hoc nostro ævo cernere est Jansenianæ causæ initia atque exitum attendentibus, quod nullis retro sæculis visum aliquando, aut auditum fuit. Profectò cum de novæ cujusdam, doctrinæ censurâ agitur, illud maximè disceptantibus curæ est, ut firmis, certisque rationibus inter partium studiosos statuatur, quid tandem in quæstionem cadat. Nisi enim conveniant inter se de dissertationis instituto, nullus erit altercationibus finis, nulla ex proposito labore fructus spes, nec meliori in luce dignoscenda veritas collocari poterit. Atque ita sanè communis fert lex inquirendæ utiliter veritatis. Sed Jansenistis Authoribus vehementer placuit, ut longè aliam disserendi institutionem sequerentur. Summâ ipsi fide, ac religione in proposito, susceptoque consilio permanent: ut sua scita verbis explicent, modisque incertis, quæ differentium mentem distrahant in diversum, nihilque certi significent, quò inter disputandum feriri possit. Totâ licet Europâ non utriusque modò, & contrariæ sententiæ Authores, sed ipsæ Academiæ, ipsi Episcoporum conventus, Cætusque sapientissimorum hominum delecti, septuaginta amplius annis, hac super re, tum verbo, tum scripto concertarint: nihilominus quid quisque quærat, ambigitur, præcipua altercationum capita in dubio sunt, atque etiam nunc acerrimis contentionum studiis vocatur in medium summa quæstionis.

1 Mira, controversiæ, quæ instituitur, ratio.

Non hæc fuit per quam simillimæ controversiæ peragendæ ratio, (nullum licet ab eâdem Religioni periculum timeretur) cum de divinorum auxiliorum doctrina coram Summo Pontifice inter D. Dominici, & Societatis doctores disputatum fuit. Quæ esset utriusque partis sententia, facilè

2 Longe secus superiori ævo fuit fere eadem pertractata.

constitit, Aliis ineluctabili supremæ motionis impulsu, Aliis superabili auxiliorum ope nostræ salutis negotium geri opinantibus. Quid altera alteri opponeret, quid reponeret, in aperto erat. Cumque illa integrum humanæ voluntatis arbitrium, hæc supremum Dei dominatum, quæ duo multis vicissim in difficultatibus ponebantur, invictè tueretur: & neutra partium demonstraret, alterutrum ex prædictis Religionis nostræ capitibus per adversariorum sententiam labefactari; visum tandem fuit præclarissimo sapientissimorum Præsulum Senatui integram suæ sententiæ tuendæ potestatem Partibus facere, indictis de more pœnis, si qui probatam utriusque scholæ sententiam præter jus fasque pro hæretica traduceret.

Quamvis autem ab initio Janseniani quoque nihil magis curaverint, quàm ut perspicuè suam mentem exponerent, deinde longe aliam agendi rationem ingressi sunt. Quod enim nulla demirari unquam desinat posteritas: quæ doctri-

3 Diuturna disceptatio tenebras, ne lumen afferebat.

næ capita erant in confesso, cum de eorum veritate quæreretur, iisdem lata censuræ sententia tenebras attulit, & judicatâ jam re, capi haud posse professi sunt, quid in judicium vocatum foret, postquam constiterat, quid proponeretur, dum communi Pars utraque supplicatione judicium postulabat. Novum sanè, atque ante hunc diem inauditum causæ genus! quâ quidem nihil notius erat cum ageretur; eademque nihil obscurius est, postquam judicata fuit. Cur insolens ista, quærendi, altercandi, differendique methodus sit instituta, quò spectet, quidve effecerit, ut eluceat, susceptique mei consilii propositum, & causas aperiam, tota rerum series paulò altius erit repetenda.

Exortæ super Jansenii doctrinâ controversiæ per Belgii, Galliarumque Provincias magis in dies, magisque increbrescere videbantur: neque iisdem componendis altercantium

4 Romam delata causa.

dissertationes, libelli, & frequentia Sorbonæ comitia melius valebant, quam restinguendis ignibus surgentium ventorum impetus valere soleat; quo quidem incendium excitatur vehementius, & perniciosiore quaquaversum furit ruina. Qua de re visum fuit controversiæ summam ad certa capita revocare, totamque quæstionem Romanæ Sedis arbitrio commendatam relinquere, missis ex utraque parte Procuratoribus,

bus, qui causæ negotiis interessent. Habiti igitur frequentes Romæ Patrum Congressus, quibus summus identidem Pontifex, datâ partium studiosis disputandi, scribendique facultate, sedere arbiter voluit, Orbe Christiano ad tantæ litis decisionem arrecto. Altero post anno Propositiones quinque, de quibus habita fuerat quæstio, totidem esse hæreses gravissimo Innocentii decreto sancitum fuit. Sed quò tandem Romanæ censuræ redit reverentia? Compositæ ne fixæ, singulisque disquisitionum capitibus decisis, confecta quæstio? Nihilominùs successere ista omnia, si data ab ipsis verba pendas; si verò rem ipsam spectes, paucis exceptis, qui summi Pontificis judicio morem gesserunt, perstitere in sententiâ, eam solùm loquendi rationem respuentes, quam non satis prudenter usurpaverant. Quin dictitare passim, ex disputatis perinde, atque definitis certum aliquid contra germanam Jansenii mentem colligi haudquaquam posse, in dubio relinqui omnia, neque solum de contrariarum opinionum veritate deliberatum nihil esse; sed quid in deliberationem sit revocatum, constare nemini.

Id causæ fuit, cur nova partes in dissidia se conjecerint, & actum jam de Jansenii doctrinâ pars una affirmaret, latam de præcipuis ejusdem Capitibus sententiam, omnemque præreptam esse tergiversantibus causam ex ipso eorum libello supplici; quò, ut sincerus eluceret Jansenii sensus, propositionibus singulis duæ ex adversum adnotabantur explicationes, quarum alteram ex Calvinianâ, alteram ex verâ eorum sententiâ esse profitebantur. Accessisse sanctissimis Constitutionibus universæ Ecclesiæ consensum: vel à Catholica fide, vel à suo Jansenio suffragatoribus ejus, & affectis discedendum esse: Ni facerent, profligatamque ejurarent labem, reliquum esse, ut caverent viri Principes, quibus libera esset animadvertendi potestas, neque occultam errorum pestem gliscere diù sinerent: vel enim malo maturè occurrendum, vel periclitaretur res Christiana eò difficilius, quò intestinus bellum erat, hostisque intus, atque in visceribus aderat. 5 Novi ex Innocentii decreto rerum tumultus.

Contra ridere ista vulgò Jansenianæ factionis Primores, cæterique ejus Consiliorum participes. Nec nova hæreseos, nec periculi umbram esse per somnium; fictitii erroris terriculum

culum, plerosque comminisci, notis de causis, exulceratos: Ibique eos rerum veluti potiri, ubi suffragatorum authoritas rem efficeret; at vel ipsa defendendæ suæ causæ spe tum decidere, cum libera Authoribus fieret disputandi, scribendique potestas. Quippe suffragiorum numerum facilè erat comparare sibi viris gratiâ, & dignitate præpotentibus; pro deflorescente verò atque afflicto jam Molinianæ causæ statu, rationum momenta invenire difficile. Rem fieri cuique manifestam, modò non vacuis rumoribus, sed fidelibus oculis prudenter crederet, & causam penitùs introspiceret. Quæ multa (ajebant) notata sunt censurâ, si minus verbis (quæ enim verba non aliis aliisque sententiis significandis aptari queant?) certè sensu, & re ipsa a Jansenii mente abhorrent utquam maximè. Jansenii ergo mentem defendere liceat, & censuram propositionum, quæ ejus nomine circumferuntur. At enim damnatos ab Innocentio errores, vel in Jansenii Augustino deprehendas, vel nusquam. Profectò nusquam. Larvæ sunt, tenuesque hæresum umbiæ sine corpore, quas frustra ferro adversarii diverberent. In hac librum ipsum conscripsere non illepidum de umbratili Jansenianæ hæreseos spectro.

Huc ergo disputationis summa reciderat: quæ multa ad eam usque diem fuerant disputata, quæ, ut Romanæ Ecclesiæ ratio postulabat, definita; eadem tunc temporis difficillimam redire videbantur in quæstionem: Aliis omnia ad verum Jansenii Augustinum, Aliis ad Janseniani errores fabulam revocantibus.

Et ne ullo unquam novæ lites dirimi pacto possent, quasi firmum illis ratumque fuit, nihil deinceps efferre, nisi suæ menti aperiendæ verba ambiguè posita subsidio comparassent: Admonitos imprimis volebant omnes, quòd nulla ferè esset apud Jansenium propositio, quæ non multiplicem sensum pateretur: scilicet illum, qui esset ad Authoris mentem verè accommodatus, & illum, qui ex mala adversariorum interpretatione ejusdem verbis omnino hæreticus substituebatur. Idipsum conjici non obscurè posse, ex notis atque commentis, quibus alii aliter ipsius Jansenii Augustinum divexabant. Enim verò tam variè sentire videbantur, qui adversùs Jansenium scripsere, ut vix duos reperires in eodem sensu congruentes.

6 Jansenistarum Consilium de ambiguitate verborum, facilique, ut putant, sensuum multiplicium defensione.

Sed

Sed opponebatur passim, subobscura dicta, sententiasque ancipites nihil magis opus habere, quàm declaratione, & illustratione. Mentem ergò Jansenii, suamque aperirent disertis verbis; quod revera sentirent, candidè & ex animi sententiâ faterentur: ita nullum deinceps relictum iri ambigendi, & cavillandi locum.

Nec quisquam dubitet, quin esset id factu facillimum. Tamen nihil ejusmodi à tot, tantisque viris in dicendi arte præstantissimis obtineri potuit. Id omnibus consilii erat, ut propositi tenaces flexiloqua, & obscura usurparent verba, quibus duæ differentes sententiæ possent accipi, neque aliam in dicendo, scribendove rationem inirent ab eâ, quæ tamdiù commodè satis, & pro sententiâ successerat, videbant, quod hac viâ ponerentur in tuto omnia, ac præsertim duo illa inter se componi, quæ videbantur prorsus insociabilia; ut nec immemores haberentur obsequii debiti erga Apostolicam Sedem, & ejus judicia in causa Jansenianâ contemnerent.

E quidem nihil potuit eorum placitis opponi efficacius syllogismo illo: Damnavit Innocentius Præcipuas & selectas ex Augustino Jansenii propositiones, tanquam totius ibidem assertæ doctrinæ capita: & eas quidem iisdem ferè terminis constantes, quibus continentur in illo libro, & quibus de communi, utriusq; partis consensu eidem propositæ sunt ad judicandum, tanquam haud dubiè significantes doctrinam ejusdem libri: easdem etiam nunc defenditis, & religioni vertendum ducitis à Jansenii positionibus vel latum unguem discedere. Defenditis ergo eadem, quæ Innocentius damnavit: scientes inquam, prudentesque defenditis: hoc illud est desertorum Ecclesiæ genus, quod pro hæretico haberi volumus.

Sed illi suâ, quam diximus, methodo insistentes tam invictæ ratiocinationis vim eludebant, ajentes, damnatas quidem ab Innocentio positiones, sed pro sensu, quem hæreticum esse non ambigerent; easdem ab ipsis defendi, prò sensu tamen, quem Catholicum esse certò scirent. Non eumdem esse sensum, quem Innocentius damnavit, & quem ipsi defenderent. Quatuor argumenrationem terminis apertè constare; Atque hinc concludere exclamantes: Parciùs

ita-

itaque ista viris, & parciùs illa plura, quæ a Pontificis authoritate (hùc enim omnia recidere necessum est) contra nostram hanc hæresim confici possunt. Quippè hâc solâ sensuum multiplicitate distinctâ, qui iisdem ambiguisque verbis subsunt, non secus atque *pulveris exigui jactu compressa quiescunt*.

Quid igitur agerent super istis Galliæ turbis saniore judicio viri? De Romanæ Sedis Judicio ambigebatur: Romam consulere oportebat. Ad Romanos itaque Judices è
7 Romæ iterum consulitur. Sorbonæ Senatu causa translata est, ut de summet decreti sententiâ ipsi decernerent, quæ erant dubia sancirentur, Authoresque turbatum in illa frigidâ calumnia diutiùs non delitescerent. Quid multa? Alexander VII. Pontif. max. proscriptam quinque Capitum doctrinam ex Jansenii mente esse, graviter definivit; neque pro alio sensu ut hæreticam haberi jussit, quàm pro eo, qui editis, vulgatisque Ipriensis Augustini libris subest.

Reddita tandem Ecclesiæ pax esse videbatur, cum nihil vel interpretationibus variis; vel intercessionibus relictum suisset loci. Sed etiam tunc nihilò felicius, quàm sub Innocentio res successit. Nescio quid portenti simile, semel Innocentii, iterum Alexandri temporibus demirari Europa debuit, Sub altero enim, cum per ipsos duos annos Jansenii res ageretur, Calvini causa, si ipsis Jansenii defensoribus credimus, finita est; sub altero quæ initio juris quæstio in medium vocata fuerat, sub exitum facti quæstio repentè extitit. Sic ergo decretum, cujus sensum obscurare cavillando non poterant, apertè contempserunt.

Quærebant enim, quid novi tandem suo illo decreto Pontifex statuisset? Utrum, quibus verbis usus esset Jansenius? An quæ mens subsit ejus verbis? Utrumlibet autem diceretur, negabant id ad fidei judicium spectare, sed alterum testimonio oculorum, alterum grammaticorum judicio finiendum esse. Duas ergo contineri quæstiones in eo decreto: alteram jam definitam ab Innocentio, utrum quinque propositiones, Romam delatæ pro hæreticis habendæ essent? Atque hanc ipsam definitionem ab Alexandro confirmatam: alteram, an easdem re ipsa exhibeat Jansenii Augustinus? At ad rem ipsam, & factum pertinere, quod

hic

hìc petitur, latere neminem: nullam hinc conflari hæresim, nullum erroris periculum caveri posse, Religionem esse in vado. Ecclesia, ajebant, ut errorem damnatum respuamus ex animo, jubet, ut hoc, illove libro scriptum credamus, non jubet. Theologus non sit, qui de hoc ambigat. Definivit Innocentius, definivit Alexander Propositiones Jansenio attributas, errore liberari non posse. Utraque definitio habet duo, quæ facili quisque negotio discernat. Primum est, errorem propositionibus subesse: Dogmatis hìc quæstio vertitur; atque in dogmatum controversiis Dei Spiritu, vel Pontificem, vel Ecclesiam regi, scimus. Alterum est, damnati dogmatis, Jansenium Authorem fuisse. Ecquis facti hìc merè humani, nec ullatenus ad fidei regulam pertinentis quæstionem verti, non videat, de quo vel nihil omnino Pontifex, vel humanâ solum authoritate decreverit? ex Religionis veritate pendet Hominum salus: ex factis, quocumque modo se habeant, non pendet. Certa probanda veritas, certus exigendus error; tametsi incertum utraque Authorem habeant. De veritate, atque errore definiant infallibili Pontifices judicio, ut lubet; de sensu verborum, quibus usi sunt, utriusque Authores aut dicantur, aut sint, permittendum unicuique, ut ex rei evidentiâ judicium ferat. Si quis itaque nosse velit, an quinque illæ propositiones extent in Jansenio? Nihil est, cur propterea Romam Consulere necesse sit: neque enim, aut tam grandis, aut tam rarus est liber, ut non possit facilè, illo penitus evoluto, totam rem, ut se habet, advertere; Addebant, quòd suâ adversarii causâ cecidissent, tùm demum non obscurè compertum fuisse, cum ad frigidam facti quæstionem, ex qua nullum Religioni periculum parari poterat, contentionis caput revocarunt. Quamdiu de veritate doctrinæ disputatum esset, quia res Religionis agebatur, sollicitè, atque attentè disputationibus vacandum fuisse: At postquam intellectum fuit, de eo tantum concertari, an verba sint ex Jansenio excerpta syllabatim? ut jam, hoc Ecclesiæ nihil interest, ita etiam nihil sua ipsorum interesse arbitratos fuisse facilè. Etenim, si re quidem verâ excerpta non sunt, si nemo à se comperta affirmat (hæc ipsi passim profiteri non dubitabant) si eorum ostendi sedes absurdissimè recusatur;

8 Vulgatissima juris atque facili distinctio.

hoc expressè in facto Pontifices errare, omni procul hæreseos suspicione, dici posse, quos in ejusmodi quæstionibus, ut œcumenicas quoque Synodos, memoriæ proditum est, interdum caligasse; Sed quoniam id palam prædicare Catholicis accidit submolestum; quod Jesuitæ, quorum nota est maledicentia, utrique Pontifici imposuerint, sinè ulla offensione ab ipsis affirmari.

Hæc ipsi, quasi verò sanxisset Alexander, quæ quisque verba in Jansenii Augustino legeret: non autem, quinam errores eodem traderentur.

Sed hæc dicentes non advertebant, quàm ipsi sibi contraria loquerentur: nam, omisso, quòd eos latere non poterat, Alexandrum non definisse quinque propositiones totidem verbis in Jansenii volumine reperiri; sed solùm damnatum earum sensum eumdem esse, ac quem in eodem suo volumine ille Author expressit. hoc, inquam, omisso; quomodo non videbant, pugnantia loqui, qui dicerent: quæ, selectis propositionibus, hæretica lateret sententia, Innocentium cognoscere potuisse; quæ ipsis lateret operibus, ubi ex contextu sponte offertur suà, Alexandrum non potuisse. Quodque Pontificii juris definire fuit, hos proprissimè errores subesse, excerptis libri dictionibus: hos tamen ipsos, toti, eidemque subesse libro, non fuit. Quasi verò aut de Propositionum, aut de libri sensu decernere, hìc, aut ibi hæresim deprehendere, aut notata doctrinæ capita, aut doctrinam ipsam fusiùs, & luculentius traditam ad Calvini hæreses referri, duo sint, quæ toto discrepent cœlo, atque illud jura, hoc facta sibi vendicent.

Hac nihilominus divisione adhibità; *nugari diu licuit*, & nugarentur licet ornatè plerique, & eleganter, nugabantur tamen. Cum itaque inane diverticulum omnes graviter execrarentur; nova ipsi exquisiere consilia, quibus miscerent omnia, rebus clarissimis noctem offunderent, & in penitissimam obscuritatis latebram, quod erroris semper perfugium fuit, se conjicerent Sepiarum, ut fertur, naturam imitati, quæ cum primùm se deprehendi sentiunt, atro, quem sinu continent humore, inficiunt aquam, ut intentam expiscantium aciem fugiant.

Profiteri primum, & passim prædicare, quæ nova hæresum

resum Capita vocantur in medium, omnia tandem ad 9
unicum de divinæ Gratiæ efficaciâ Institutum recidere. Sive progredi, sive regredi per continuam suæ doctrinæ seriem, veluti per gradus libeat, perspectum cuique, compertumque fore de facili, nullum in Jansenianâ Theologiâ effatum afferri posse, quod non tradita Gratiæ ex se efficacis præcepta vel antecedat, vel consequatur rationibus planè necessariis. Detestari ultrò Jansenium, si quid in ipso sit prætereà reliquum, quod inde non pendeat; defendere, si illuc cætera revocentur; proindeque vel hoc hæreseos genere laborare omnes Jansenii Defensores, vel nullo.

In unicum Gratiæ ex se efficacis caput, dolo malo devolvitur quæstio.

Porro, cum adverterent, suam de gratiâ ex se efficaci institutionem, iis fuisse rationibus comparatam, quæ multas cum Calvinianâ hæresi, reipsâ, multas cum Thomistarum doctrinâ in speciem conjunctiones haberet; quò major in his sententiis, ac difficilior erat ad distinguendum similitudo, eò arbitrati sunt, paratiora, ex hæreticâ Calvini, Catholicâq; Thomistarum scholâ, auxilia dolo malo sibi adjungere.

Verum enim verò censuras jam, sanctiones, Tridentini Canonis anathema opponas de ereptâ dissentiendi facultate? Ad Calvini illa, ajunt, institutiones pertinent omne benè merendi studium amolientes; quàdam veluti in humanos animos fati necessitate ex divinæ providentiæ Consiliis inductâ. Non infirmioribus nos modò auxiliis, quæ inefficacia appellari solent, resisti posse volumus; sed acerrimè adversus Calvinistas, auxiliis etiam efficacioribus, dissentiendi facultatem voluntati asserimus. Novimus, quot quot sunt homines, & quamdiù vivunt, à communi, quam peccatum insevit, labe omnibus timendum esse: Novimus, eos, si velint, posse divinæ Gratiæ dona abjicere; tametsi ne velint, voluntas ipsa suavissimè divinitùs affecta præstat. Quos Tridentina Synodus, quos Innocentius, & Alexander errores detestati sunt, planè detestamur; atque ùt longissimè ab iisdem disjuncti sumus; ita Calvinianæ causæ exitus, errores, & fractæ sæpiùs, atque inanes, quæ proponuntur, minæ, modicissimè nos tangunt. 10

Ex aliarum sententiarũ affinitate multas sibi Adversarii utilitates comparant.

An solida rationum vi adoriri eos mavis? Et impietatis, nedum hæreseos coarguere, quod D. Petri, ut ipsi sibi videntur, exemplo docti, affirment non illibenter, gratiam

verè, plenequè sufficientem ad mandata implenda Justis ipsis interdum deesse, tum scilicet, cum quidquam contra Legem peccant? Cum fortè istius modi aliquid objectum intelligunt, statim à te quærunt, quam eos gratiam sufficientem fateri velis? Eam ne versatilem, qua Justus instruitur ad utramque ex æquo partem paratissimus, & quam non multis ab hinc annis, Molina Princeps, adinvenit? Hoc enim verò gratiæ genus ipsos refellere, neque ullam in eo hæresim esse positam, quod à Molinianis recedant. An eam, quam vocant sufficientem ex parte, quæ nimirum validius expectet Dei benefacientis donum, quale est Thomisticæ Scholæ vulgatissima prædeterminatio, perinde, ac sanus oculus inter tenebras lucem expectat ad videndum? Hanc sanè, quæ appellari commodè potest gratia imperfectè sufficiens pro sensu Thomistarum, quorum exemplo uti eos liceat, Justis etiam peccantibus, concedi; præcipuè, cum non aliam adesse noverint Catholicæ, celeberrimæque toto orbe Academiæ: Quod si gratiam denique loquaris plenè, verè, perfectèque sufficientem, quæ magis propriè efficax nuncupanda foret; eà carere, ac destitui Justos à lege deficientes, apud ipsos, Catholicosque omnes esse in confesso.

Quæ itaque à Thomistis Doctoribus tradita, atque in Catholicas scholas derivata, censura aliquà notari, vetat Ecclesia, hæc quidem profectò, eorum confessione sunt sua: quæ in Jansenio damnanda, sanctè pronuntiat, hæc enim verò, ipso eorum judicio, Calvinistas feriunt. Itaque lucro sibi vertere adorti sunt utriusque sententiæ cum Jansenio affinitatem, & modò Thomisticæ Theologiæ dignitate, ut temporum ratio postulat, se adornant: modò constitutionum Apostolicarum momenta, ac censurarum jacula, quæ factionem non mediocriter perturbant, in hæreticum Calvini caput, prudenter deflectunt. Hinc neminem jam nunc reperias Jansenianorum Consiliorum benè consultum, qui nos in hac causa disputantes non aliud pro alio videre asserat, & vel certo quidem arcu, sed in profligatam jam, tabescentemque Calvini hæresim perperàm jaculari; vel Jansenium per summam invidiam impetere cogitantes, sancta ac probata Catholicæ Thomistarum doctrinæ viscera, cœco furore, imprudentes transfigere.

Hic

Hic ille est eorum disputandi mos, & ratio, quâ certissimos omnes esse jubent, suis de divina gratia sententiis, si res, nec verba pendantur, non minus acriter Thomistas defendi, quàm Calvinistas oppugnari. Nuperrimam autem Sanctæ Sedis Constitutionem *Unigenitus*, nullius apud Viros momenti esse, qui Sanctionum illarum vi D. Augustini, ac Thomæ doctrinam subrui vident, Molinianamq; inter canonum dogmata referri. Nec puduit multa per ironiam scribere de institutâ per Clementem XI. Pont. Max. Molinianæ Theologiæ Apotheosi.

II Quid causæ fuerit, cur optime res, atque è sententia successerit.

Neque verò miror, quod istius modi machinationibus successêre omnia: quodq; multum præsidii, & gratiæ sibi, inversâ prudenter scenâ, actores egregii compararunt. Quæstio omnis ad penitissima rerum divinarum arcana redit. At quotusquisque est, qui in doctrinâ Patrum, sacrarum literarum interpretatione, & Sanctis Theologiæ præceptis, atque institutis versatus, tantæ molis quæstionem, tam variis dissentientium Authorum opinionibus involutam, solius studio veritatis, pectoreque, ut ajunt, benè præparato introspicere penitùs aggrediatur? Paucorum admodum est, quos æquus amavit Juppiter, vigil illa mens, & Sapientia, malarum artium gnara & abstinens, in omnem fallaciarum partem experrecta, quam a partium studiis, & opinandi licentiâ alienam, nec favor abripiat, nec nova vel capiant, vel percellant. Ludovicus Thomasina, qui eruditissimis operibus, & Patrum Theologiam, & novæ, ac veteris Ecclesiæ, disciplinam illustravit, de divinis proinde literis optimè meritus, in has partes facilè abierat. Verùm cum earum Authores gravissimis vidisset exagitatos decretis, rem attentiùs perpendere deliberavit. Veritate compertâ dedoceri se posse novit, qui cæteros multa docuisset, & frequentibus inter amicos colloquiis, datisque ad absentes literis, candidè professus fuit, refellere se jam, ut ab Ecclesiæ sensu alienam opinionem, quam antea ad Augustini mentem accommodatam non satis prudenter existimaverat.

Qui tamen in his rebus se adeò constantes præstent, ex maximè raro hominum genere judicandi sunt. Eheu! quàm difficile est exuere, quod viri doctrinæ famâ clariores semel in animum induxerint: præsertim si favoris, gratiæ, aut alia

hujus-

hujusmodi Cupiditas animum occupavit. Non Academiarum modò, quas novimus, capita præcipua, sed Proceres etiam, viri Principes, Præsules, & è Sacris familiis Patres, Doctoresque non pauci (quem enim veri species mendacii fuco oblita non fallat?) nihil hactenùs in hac doctrinâ deprehendisse etiam nunc pugnant, quod à Fidei Canonibus discedere videatur. Quamobrem nonnulli quà doctrinæ, quà religiosæ vitæ dignitate, nobiles novæ Theologorum sectæ, vel fautores, vel asseclas se addiderunt, ingens momentum, cum in eam tandem partem malè cauti inclinarunt.

Inde fit, ut novarum rerum Cupidi, velis indulgendum censeant, dum fælicior hæc aura aspirat. Et quæ in pericula Ecclesiæ navim adduxerint, omnibus per hæc tempora cernere est; cum vix motos antea fluctus compositum iri speres; & nova suboritur procella, quæ nihilò levis Romanæ Sedis dignitati negotium facessit.

Superioribus annis de hæretico Jansenii sensu tantummodo ambigere videbantur; an scilicet inter tradita ab Anthore præcepta, an inter turpissimas invidorum hominum querelas tot forent novæ hæreses recensendæ? Id verò temporis, quinam Jansemani sint? ubi nam Gentium degant? ex sincerâ, quam nemo speret, ipsorum Confessione, constare nequit. Si qua, non modò sapientissimis hominibus fides, clarisque toto orbe Catholico Academiis, sed sancitis jam Romani Pontificis authoritate Decretis, habenda est; certè Quesnellius, hac nostrâ ætate, Jansenianæ causæ propugnator fuit studiosissimus. Idemque, tot libris luculenter elucubratis, totius Factionis Dux facilè, ac Princeps extitit. At videat quantum lubet, Jansenium in Quesnellio Ecclesia universa; non desunt viri nihilominùs gratiâ, authoritate satis noti, qui in Quesnellio, nihil aliud, quàm Patrum ferè omnium doctrinam, videre se passim dictitent; Quodque ampliùs mirere, qui ejusdem Authoris libris, quippè eorum judicio Janseniana hæresi infectis, vulgò censuerant interdicendum; iidem pro Quesnellianis commentariis, tanquam pro aris, & focis pugnare nunc non dubitant; nè eorum doctrina in suspicionem vocetur, & infractâ tanti operis authoritate, ac fide, ingens, ut ipsi ajunt, Christiana Religio detrimentum patiatur.

Quis

Quis enim verò teneat se, cum in eam etiam quæstionem, conjectum intelligat; ut dubitandum etiam nunc sit, an ipsum Quesnellium, & puros, putosque Jansenianos, an D. Augustinum? & Sanctorum Patrum choros videamus per Europam redivivos? Incredibilem sanè Hominum, de se magnificè sentientium audaciam! Qui non aliis, alisque, sed toti Terrarum orbi, suismet oculis, fidenti, novis fabulis impositum iri sperent, & Cœlum ipsum stultitiâ petant. Etenim quantam gratiâ, & eventuum felicitate in dementiam venerint? quæ, sint, licet, omnibus compertissima, & orbis videat, velint nihilominùs quærenda meliùs? attendere. Ad imbuendam ne, an ad perdendam honestè vivendi disciplinam Societas Jesu instituta sit? An ordinem nescio quem Porturegienses ad veterem Christianæ institutionis normam revocarint, an corruperint? An Pontificum definitiones super Baii, ac Jansenii propositionibus reveritæ sint Ecclesiæ universæ, an hæreant? an quinque damnata Capita ex Iprensi Augustino sint excerpta, an è Jovis Cœlo ad nos delata? An Alexander de facto, an de sententia decreverit? An Sixtus, Clemens, Paulus Societatis sententiam proscripserint, an probarint? an denique cum D.Thoma scholæ Principe, an cum Heterodoxis propositi tenaces Janseniani sentiant? Hæc disceptantur; hinc orbe, inde Paschale olim, & Nicolio, nunc miseris Galliæ Præsbyteris concertantibus. Tantus fucis, cavillisque error, tanta præjudicatis, opinionibus in quorundam animis caligo diffundi potuit, ut nihil jam veritati relictum loci esse, doloque mali occupasse omnia videantur.

12 Quò tandem his successibus ipsi processerint

Quæ mecum ipse considerans, despondeiam ferè animos, tot affectus, tantumque non afflictus difficultatibus; tum quia congrediendam mihi erat cum hominum genere propter iniquitatem temporum, ad ambitionem gratioso; mihi, inquam, cujus vita longè est ab hoc honore populari, & ab hac illustri gratiâ remotissima; tum quia ubi pars altera aperiendæ veritatis, altera occultandæ studio intemperatè ducitur, ibi de feliciori disputationum exitu sperare me, aut expectare quid oporteret? Accedebant eruditissimorum hominum exempla, qui in implicatâ ista, ac perdifficili causâ, multumque, & sæpè quæsitâ versati fuerant. Quò tan-

tandem, per vestram fidem, graviorum operum, munerumq; suscepti ab ipsis labores? quò Sorbonæ, cujus magna tunc in judicando authoritas erat, decreta indictæque pœnæ? quò subscriptiones in damnationem Janseniani erroris, interpositâ juris jurandi religione confirmatæ? Si diuturnâ ipsius ferè sæculi experientiâ compertum habemus, quod nihil fiat? Illis præsertim in locis, sectam hanc firmiùs constitisse vidimus, ubi illam vehementiori studio, atque operâ insectati sunt Cœtus Præsulum, Theologi, Doctoresque omni virtutum genere ornatissimi. Multiformis, ac veluti versipellis doctrina, quam suos in mores induxerunt, deprehensu accidit difficillima. Labyrintheis ambiguitatum flexibus, quî te expedias?

Quo teneas vultus mutantem Prothea nodo?

Habent hoc fallaciæ, & callida nimis, ac malitiosa disserendi ratio, quod insidiosis etiam hostibus est commune: unum omnes sentiunt, unum student, ut integumento aliquo ad se occultandos diutiùs uti liceat, nihilque falsi afferent, quod non magnâ veri comparatione sit simulatum. Destituuntur enim omni prorsùs nocendi vi, cum cognoveris, & elanguent; maximisque, contrà, valent viribus, cum lateant.

Etsi verò exigua, & fere nulla utilitatis spes affulgeat: est nihilominùs causa, nec sanè levis, quæ animum ad scribendum inducit. Ea enim est conditio temporum, ut si loqui, nihil habeat utilitatis, tacere tamen sit maximè perniciosum. De D. Thomæ, ac Jansenii concordia quærendum denique nihil esse, Quesnelliani præsertim, fidenter prædicant; evidentissimis tandem rationibus, rem totam in aperto fuisse positam, & veritatis, ut apparet, vi convictos, constrictosque; nihil contra mussitare ausos contrariarum partium amantissimos; illam quasi sibi concessam jure, meritoque sumi debere, & super ea, solido veluti fundamento, reliquam Augustini doctrinam construendam; maximum, præcipuumque causæ firmamentum esse, quòd meliorem Thomistæ causam non habeant, id sibi satis fore, nec aliam innocentiæ suæ defensionem quærere. Nam quid multa? Si quisquam in suis aliquid libellis repererit, quod a Thomistis diffideat, omnem sibi infamiam imprecari; at spondere fidentèr posse, præstiturum id neminem, facilèque fore,

13 Præsens difficillimæ causæ status.

ut

ut multum sudet, frustràque laboret, quisquis in tàm multis suis voluminibus, tale aliquid quærat.

Hæc, cum ipsi tàm apertè, tàm insolenter scribant, ut jam nec ferri possint, nec debeant; & ad infringendam tantæ fraudis audaciam, incertum sanè, quibus de causis earum Partium, quarum maximè injuriam repellere intererat, non uno omnes impetu aggressi sint; an non omnes, rerum istarum minùs periti, Quesnellium, causâ potitum planè intelligant; atque hæreant incerti, discernere non valentes; quid inter Scholam planè catholicam, profligatosque errores dissidii sit? Cum igitur, ista animo reputarem, felicioresque in dies, ex novis litium tumultibus, successus fieri adverterem, partim vario adhibito, ancipitique verborum apparatu, partim inductâ palam Thomistarum personâ; pro sanctissima constitutione *Unigenitus* mihi scribere instituenti, duo præstanda in primis esse, facilè intellexi: Primum, ut singula quæstionum capita ab omni ambiguitate, quantùm maximo potui studio, atque operâ vindicarem: hoc nisi effecero, quod me in hac causâ obtenturum confidam, nihil habeo: Alterum, ut nonnisi Authoribus Thomistis usus, quid de Jansenianâ Theologiâ Catholico cuique definiendum sit, ostenderem. Dicam equidem, quod sentio: nisi duo mihi speràssem successûra: primum; ut, quidnam agitur? Deindè, ut cum quibusnam agitur? in aperto foret; tempori serviendum ducerem, ac rebus hisce pertractandis, prudenter abstinerem.

14 Quantum sit in illa peragenda periculi.

Quisquis verò me de Thomistarum sententiâ ornatissimè scribentem viderit, nec paulò secùs atque Authoribus Societatis moris esse solet: advertat obsecro, in quæstionem non vocari, an Thomistica, an Jesuitarum doctrina veritati propior accedere videatur? In quo disceptatum perdiù amicè est, & Scholâ superstite, disceptari, nunquam desinet; verùm quæri, an eorum sententia iisdem, quibus Janseniana, censuris sit obnoxia? qua in re contrà iniquissimas hæreticorum calumnias, Scholam planè Catholicam defendendam suscepi. Utriusq; scholæ officium est, ut cum de primâ quæstione agitur, studiis inter se concertent, ut fit, ad veritatis disquisitionem omni procul invidia accommodatis: cum autem de alterâ, tunc enim verò pro Catholicâ re, ac

15 Quamobrem Janseni confutatio ex Thomistarum præceptis suscipienda videatur.

suâ fœderatæ ambæ, in Ecclesiæ inimicos invehantur.

16 *Operis divisio.* Quod verò attinet ad rationem hujus operis, illud ita distribuendum censui, ut in priori ejus parte, quam digessimus in libros tres, hinc Jansenii, inde Thomistarum sententias, quantum possem, plenè simul, breviterque proponerem.

Primus itaque erit de Jansenianâ: Sed in eo, non quinque illa tantùm capita, quæ in totidem damnatis Jansenii propositionibus continentur, sed totum Jansenianæ Theologiæ ordinem, & contextum explicare conati sumus; quò singularum ejus partium nexus, conjunctioque, quâ inter se mirificè cohærent, intelligatur. Id autem de consilio fecimus, quòd post Innocentii, & consequentium Pontificum Decreta, ferè omnes, qui pro iisdem decretis scripsere, toti in eo fuerunt, ut illas quinque propositiones, ad quas, totidem veluti totius controversiæ cardines, quæstio contracta fuerat, pro eodem proscriptas sensu ostenderent, quo, fide non bona, Jansenii factio per id tempus sustinebat. Prudens quidem profectò consilium: Sed quàm nulla successus fœlicitàs consecuta fuit? Propositiones secretæ, atque divulsæ ad alias, aliasque sententias significandas, fingi ita potuerunt, ut attentam etiam accuratiorum hominum aciem quæsita veritas fugeret. Facilisque inde, atque oppidò prompta fuit adversariis occasio, litem ad gemini sensus errorem revocandi, quo nihil magis cavendum erat, veritatem ab omni verborum ambiguitate liberare cupienti.

17 *Jansenianæ Theologiæ enarratio primo contenta libro, altero Thomistica enarratur: tertio parallelismus utriusque instruitur, quarto proponuntur argumenta, quæ rem efficiunt, quinto, ac postremo respondetur contrariis argumentis.* Quamobrem totam doctrinæ summam, veluti Corpus quoddam diversis aptè partibus compositum, exhibere visum est, in unam, eamdemque formam, & exitum coeuntibus. Sic enim fiet, ut ex ipsâ propositionum structurâ pateat, quem præcipuè sensum faciant; quando posterioribus priora, antecedentibus consequentia, causæ effectibus, oportet respondeant.

Quâ verò fide id præstiterim, Janseniani ipsi attendant, & judicent. Equidem tanta animum quæstionis hujus intelligendæ curiositas incessit, ut aliquot ab hinc annis, nihil non evolverim ex tam multis eruditè, & sapienter de hac præsenti materia elucubratis, quod ad rem explicandam propiùs accedere videbatur: Neque verò eo animo, ut quæ placerent, probarem, & quæ displicerent, exigerem; sed ut

no-

novam illam divinæ gratiæ œconomiam, ex Jansenii sententiâ, ab ipsis assertam, quantum liceret homini in Theologicis rebus non inermi ac nudo, utcumque assequerer. Quod si eorum Institutiones, perpetuâ etiam oratione explicans, quò faciliùs quisque, tùm de reipsâ, tùm de rerum ordine, & caussis certior fiat, peccem nihilominus, & post tantam mihi diligentiam subsidio comparatam, Authorum mentem, ac sensus minimè teneam, tunc enim verò, vel illud Tullii obtrudere liceat: *satius*, scilicet, *est mutum esse, quàm, quæ nemo intelligat, dicere*; vel eorum ingenio obsequens, quemadmodum olim Sylvanum Reghium Huetius, ita ipsos ego.

Discipularum inter jubeam salvere Cathedras.

Post exactam Jansenianæ Theologiæ analysim, alteram Thomisticæ Doctrinæ subjiciam in conspectu, eâ diligentiâ, & fide, ut à doctissimis illius scholæ viris probandam vehementer esse, pro certo sciam. Habeat quisque, libro hoc altero, utriusque sententiæ discrepantiam ob oculos positam: colligatque exinde, jure ne, an injuria inter D. Thomæ asseclas Janseniani se jactitent referendos. Efficiam fortasse, ut post hac, cum gratiam loquuntur, seù sufficientem, seù efficacem, abstineant tandem cantilenâ illâ, nimirum *Gratiam pro Thomistico sensu sufficientem. Gratiam pro Thomistico sensu efficacem*, quæ vulgus imperitum capiat, & quam viris etiam, nec pudet, occinunt ad fastidium.

Et quoniam earum sæpè rerum natura, atque indoles, quam quærimus, compositione, & comparatione aliarum, tùm affinium, tùm discrepantium, mirum quantum illustratur, & emicat. Parallelismos, tertio subinde libro, instruere visum est, quibus Jansenii, & Thomistarum instituta per singula, ac præcipua totius doctrinæ capita collata inter se, quid conveniant, quid discrepent, luce pateat meridianâ. Verosimilia, cum longo à veris intervallo ità distant, ut nequeas utraque, uno veluti intuitu, attendere; probantur facilè, atque imponunt. *Lana*, ut ajunt, *fuco tincta, citrà purpuram placet; non cum contuleris*. Fiet hinc primò, ut intueri facilè liceat, quò Decreta, & Canones potissimùm spectent; quorum sanctitas postulat, ut omnem quidem hæresum pestem exterminent, affinia tamen, si quæ in speciem

ſunt, Catholicorum præcepta, neutiquam offendant. Fiet præterea, de germano differentium ſenſu, qui poſt hac dubitet, fore neminem; oculis quippè ipſis ſubjectæ apparebunt contrariarum Inſtitutionum radices, unde omnem ſubobſcurarum, ac perdifficilium quæſtionum ſylvam proveniſſe ſcimus.

Inamœna quidem eſt, ac ſpinoſa Theologicarum diſquiſitionum hiſtoria, quam ſuperioribus hiſce libris contexímus: eademque abſterrere legentes poterit, ac retardare, quominùs rem totam intelligant. Magna tamen ſpes nos tenet fore, ut eorum animos conciliet narrationis candor ingenuus. Cum enim Janſeniſtæ paſſim de his ſcribere inſtituentes, deliberatò, ac conſultò in excæcanda oratione laborarint; nihil nos prætermiſimus, quod valere poſſit ad fidem, dilucida rerum explicatione, faciendam.

Ita porro primâ operis parte tribus, quos diximus, libris abſolutâ, ad alteram accedendo, initiò proferam argumenta, quæ nonnihil, ut ſpero, Adverſariis negotii afferent: Certè ex novo, quo ſe nuperrimè receperunt, labyrintho, conjicient in apertum. Hoc laborabo unum, ut ne minimùm quidem, in Molinæ partes abduci patiar, nullaque meæ Theologiæ præjudicatâ opinione uſus, concertationem aggrediar. Quæ Societatis noſtræ potiſſimùm ſunt, negligere adeò, nedum diſſimulare, ratum mihi eſt, ut Catholica ne, ſint illa, an veriùs, ſi Superis placet, hæretica, nihil morer. Jacta antea fundamenta, quibus unicè tota Thomiſtarum doctrina ſtat, rem decident, efficientq; pervulgata Janſenianæ ſententiæ capita pro eo (id enim agitur) ſenſu, hæreſeos labe, liberari non poſſe, pro quo Scholæ D. Thomæ univerſæ per ſummam injuriam tribuuntur. Tandem omni ſtudio, diligentiâ, & fide argumenta proferam in medium, quibus Janſenii Defenſores afflictam tot anathematis cauſam, neſcio, quo verioris doctrinæ fato, reſtituunt in dies; nec niſi Dominicanæ Familiæ Doctoribus Magiſtris uſus, quantum doli mali in iiſdem lateat, & quam ſint inania, clarum faciam. Hæc ſi effecerim, quæ, niſi vehementer fallor, claris, certis, diſtinctiſque modis efficere aggredior, nihil eſt, quo magis ſuſceptæ cauſæ prodeſſe poſſim. Sic enim unicuique tandem aliquando perſuadebitur, non hic inter Theolo-

gos

gos Societatis, & novos, ut illi se falsò dicunt, *Augustini Discipulos*, sed inter omnes, quot quot sunt, Catholicos Doctores ex una parte, & hæreticos, non Ecclesiæ tantummodo, sed & proprio, ut ait Apostolus, judicio damnatos ex alterâ, controversiam esse. Hoc hujus meæ Disceptationis caput est, hæc summa. Sentient fortasse novarum semper molitionum Fabricatores egregii, decidisse se Atellano, quo potiebantur, jure, personam in scenâ nunquam ponendi.

Equidem de iis non sum, qui in Jansenianâ causa disputantes, definiunt quidem facilè, nec tamen attendunt, conviciisque veriùs, quàm rationibus, causam hanc peragendam putant. Hos sanè fidenter pronuntiantes sæpè audias, nihil Janseniano Grege, tùm Ecclesiæ universæ, tùm Reipub. inimicius: at si fortè petas, quamobrem? non satis norunt. Sanè, quò magis quæstionem sustinens ab incertis rebus (Disputantibus quippè in contrarium Adversariis morem hunc gerere, necessum est) assensionem omnem prudenter cohibeam, nihilq; affirmem, quæram omnia, dubitans; eò faciliùs post ratio- 18
num momenta accuratè expensa, scientia, quæ omnis Philosophiæ causa est, & principium, comparari poterit. Quid enim veritatem indaganti temeritate est inimicius? Aut quid tam temerarium, tàmq; indignum Sapientis gravitate, quàm, quod non satis exploratè perspectum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione, aut defendere, aut confutare? Ponendum, reponendumque mihi erit per singula, ut quid, à quoque, & quid, contra quemque dici soleat, distinctè intelligatur. Hoc fermè pacto, quæstio omnis erit plenè, cumulatèque perfecta: & veritatis, quam suscipimus, causa, iis rationibus peragetur, quibus unicè obtineri consuevit. Hoc enim verò consilium mihi est: hoc ex vera animi sententia efficiam. Satis tandem sit satyrarum, ac libellorum, quibus animos exulcerari intelleximus operæ pretio ferè nullo. Scilicet hanc veniam, petimusque, damusque vicissim. Dissertationem, in qua multæ res nequaquam satis adhuc explicatæ sunt, & quæ ad tuendam, quod caput est, Religionem, videtur inprimis necessaria, non rixas instituo. Eadem fermè de causa satiùs multo esse duxi, si controversiam ex ipsius, ut ajunt, causæ visceribus prosequi inciperem; quàm si sanctissimis Constitutionibus fuisse jampridem

Rem totam rationum vi, nec jurgiis exequendam.

pridem definitam, Authoresque turbarum conclamatam, ut plerique solent, in hæresim lapsos demonstrare. An summorum Pontificum Decreta, sectam hanc verè exterminent? Hic non pugno: præsentesque disquisitiones instituens de solâ rei veritate, suam censuris, planèque divinam authoritatem, edendo mox opere, asserere consultò differam.

Neque porro orationem hanc habere velim ad illam ferè plurimam Jansenistarum turbam, qui rerum omnium ignari, cum libellum aliquem de hac re percurrerint, præ-

19 Arce idem his quæstionibus esse imperitorum Jansenianorum vulgus.

cipiti, ut sunt, ingenio, in partes ruunt. Quot quot sunt novarum rerum cupidi (quos autem levioris ingenii homines cupido ista non incessit?) Quot quot severioris Theologiæ fastidiosi, quot quot de Ecclesiasticâ authoritate non admodum benè meriti, quot quot denique Religiosorum Ordinum (quorum idem semper est cum Romana Sede in Religionis tuendæ negotio fatum, & causâ) eorumque disciplinæ, ac dignitatis inimici, ad Jansenii castra turmatim advolvant. Accedit, quod rideas, nobilium Fœminarum vulgus, procaciorum adolescentium vana indoles, indocilis Popelli turba:

Ambubajarum Collegia Pharmacopolæ.

Mendici, Mimæ, Balatrones, id genus omne, Jansenianæ Theologiæ præceptis, institutisque abundare se magnificè jactitat. suas sibi isti, res habeant: viros controversia requirit. Qui præsertim in rerum divinarum doctrinâ diuturno studio, ac labore versati sint; & qui suæ licet sententiæ nonnihil tribuant, norunt tamen veritati plurimùm tribuendum esse; nec favoris, gratiæ; turbidæque famæ amore, (qui literatorum rem leviter attingentium sunt morbi) ea probare respuunt, quæ maximè probanda esse intellexerint.

20 Cur sermo paulo concinnior quà Scholasticæ res postulent.

Erunt fortasse non pauci, qui ut veteris scholarum instituti sunt amantissimi, ita minimè ipsis probandum videbitur, quod non illam scholasticorum methodum sim prosecutus, quâ, modò acriter ipsi, & ad rem, an ornatè disputent, non laborant. Eam nempè per aliorum, hâc super re, scribentium exempla tenere non licebat: minimèque decuit, ut, si minùs politissimam eorum in scribendo rationem assequerer; quâ possem certè operâ, non imitarer.

Mo-

Morem hunc illos, ut puto, Jansenianis ipsis gerere oportuit; qui tùm docendo, tùm scribendo Philosophiam cum eloquentiâ, quàm possint maximè, solent conjungere, atque de difficillimis quæstionibus copiosè, ornatèque dicere perfectam esse doctrinam judicant, illud Tullii passim usurpantes, Hominum esse, & literis, & otio intemperanter abutentium, asperis, ac barbaris verbis uti, suosque libros inconsideratè edere, quos ipsi tantummodò legant cum suis, nec quisquam attingat præter eos, qui eamdem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Res itaque sit (nec enim abnuerent Scriptores nostri) ut elegantes Jansenistæ persuasum habent; effectum sanè fuit, ut in leviusculâ ista gloriolâ, sibi non admodum placerent, perindè quasi sacræ Doctrinæ scientiam, cum aliquâ sermonis venustate jungere Scriptoribus, si Porturegienses excipias, interdictum foret. Igitur, ut doctissimorum hominum vestigia, longo licet intervallo distans, persequerer; Cogitationes meas ita literis mandare conatus sum, ut eas disponerem, illustrarem, & si minùs delectatione aliquâ allicere Lectores possem, certè spinoso illo differendi genere deterritos non retardarem. Præsertim, cum ab antiquissimis etiam, & sapientissimis viris commendata semper ista fuerit ratio suadendæ veritatis: nec multùm intersit, an nihil omninò respondeas, an respondeas, quæ nemo legat. Neque hinc debilitari solidam rationum vim, aut quidquam veritati ponderis demendum putem. Enimverò inducere in animum numquam potui, ut crederem, quod arma rubigo efficiat promptiora, quodque ciborum condimenta fastidium pariant. Non ipsa sententiarum momenta, sed appositus in dicendo ornatus, interdum efficit rem. Et, quos Cœlo tactos fuisse scimus, ictu perpauci, ipsâ plurimi fulminum corruscatione prostrati, exanimes ceciderunt.

LIBER

LIBER PRIMUS.

Proponitur Summa Doctrinæ Jansenianæ, qualis post decreta Summorum Pontificum, interpretationibus variis, vel emendata, vel aucta, etiam nunc in aliquibus Europæ Regionibus viget.

ARGUMENTUM, ET SINOPSIS LIBRI PRIMI.

1. *PRimum Jansenianæ Theologiæ fundamentum stabilitur*. 2. *Affertur causa, cur do quæstionis cujusdam capite prudenter sileant*. 3. *Quæ gratiæ dona ex Jansenio fuerint naturæ innocentis proprissima*. 4. *Quæ verò jàm nunc sint propria naturæ vitiatæ?* 5. *Deducuntur duo explicatæ doctrinæ consectaria, quæ sunt diligenter notanda*. 6. *Definitur Gratia Redemptoris, quam definitionem pleraque eorum præcepta consequuntur*. 7. *Ostenditur, quantùm utraque Gratia inter se differat*. 8. *Comparatio adhibetur ad discrimen clariùs internoscendum*. 9. *Explicatur notio libertatis ad propriam Jansenii mentem*. 10. *Sub quânam acceptione eam etiam consequentes Jansenianı libertatem admittant, quam vocamus* Indifferentiæ. 11. *Quamnam impotentiam asserant, libertati minimè inimicam, & quæ cum effectus infallibilitate est conjuncta!* 12. *De Prædestinationis mysterio quid sentiant?* 13. *Ratio, quamobrem soli originis culpæ, ignis etiam sempiterni pænas deberi doceant?* 14. *Quanta sit ex originis labe*

ne pernicies, cujus pœnam quidquid sequitur, crimine nunquam vacat. 15. *Quibus definiatur terminis Redemptionis divinæ virtus?* 16. *Inextricabilis proponitur contra institutam doctrinæ seriem difficultas.* 17. *Ut alii illam negligant; ut respondeant alii.* 18. *Potissima Wendrokii responsio.* 19. *Quàm bellè hæc Jansenianæ Theologiæ subvertat fundamenta.* 20. *In unicam Propositionem Jansenianorum, plerique tanquàm in doctrinæ universæ summam præcepta ferè omnia perducant.* 21. *Quibus id rationibus probent.* 22. *Non aliud his artibus spectant, quàm, ut in Thomistas evasisse vulgò existimentur.*

PRincipiò, discrimen fusè explicant, quod ex suâ Ipsi mente interesse putant, inter gratiam, quâ Deus naturam integram donavit, & quam nunc impertit naturæ vitiatæ jam, ac corruptæ. In hoc porrò discrimine ritè explicato, basim veluti suæ sententiæ ponunt, & fundamentum: Scholasque Catholicorum, in quibus dicunt, quantùm utraque Gratia discrepet, non adverti, iisdem fermè quereis fatigant, quibus Calvinus olim de Tridentinis Patribus querebatur, *in eo scilicet omnes falli, quòd nullum observarent inter regenerationis gratiam, quæ nunc nostræ miseriæ subvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, discrimen ab Augustino perquàm diligenter expositum.* Igitur si ipsos audiamus, cum primùm creatus fuit Adam innocens, omnisque expers noxæ, tunc non solùm iis præcipuè dotibus, quæ ipsius naturæ, ex Catholicorum sensu tantummodo, conveniebant, sed gratiâ etiam sanctificante fuit adornatus, donisque eam gratiam consequentibus, quæ, ut eorum est hæresis, Natura omnis rationis particeps ex sese postulat. Et quàmvis tùm naturalibus, quæ nos distingui-

1 Primum Jansenianæ Theologiæ fundamentum stabilitur.

Calv. in lib. contra Concil. Trid.

D mus

mus, tùm supernaturalibus, quod caput est, habitibus abundaret; nihilò tamen minùs actuali etiam gratia habebat opus, quâ posset divinis obsequi mandatis, operaque efficere, quæ finem aptè consequerentur.

2 Causa affertur, cur de quæstione cujusdà capite prudenter sileant.

An verò solâ mentis illustratione gratia ista contineretur, an ad cor etiam commovendum pertineret; numquam in tot præceptis, institutisque de hac re traditis expressè Jansenius definivit. Quinimò consequentes Janseniani hic quoque hærent. Vident fortasse, quod si, præter mentis illustrationem, cordis etiam motionem requirant, requirunt quidem profectò sinè causâ. Non alia enim est ex eorum sensu gratiæ Cor efficacier movemis necessitas, nisi ut voluptatem, & delectationem pravam vincat, quâ unicè abripitur. Adamum verò innocentem, nullis voluptatum illecebris fuisse obnoxium, fugit neminem. Contrà, si solâ sint illustratione mentis contenti pro naturæ integræ salute, & bono; omnis illa argumentorum vis instructa ex assertà ab Augustino necessitate auxilii pro hoc statu, prorsùs elanguet, & pro suæ opinione tuendâ ferè nudi, atque inermes sibi relinquuntur; ut postremo operis libro tradendum erit. Quamobrem quæstionem istam, quæ certè præcipuum locum habet in re, quâ versamur, consultò ipsi, & prudenter satis prætereunt.

3 Qua gratiæ dona fuerint naturæ innocentis propriissima?

Ut ut tamen res ista se habet, certè gratia per Jansenium asserta, quò naturæ innocenti fieret accommodatior, talis esse debuit, quæ ab ipsius Adæ arbitrio suarum virium efficaciam expectaret. Causas affert duas. Prima est, quia fruebatur Adam sanctâ, integrâ, perfectâque naturâ; proindèque id genus gratiæ convenire videbatur, quâ verè existeret sui consilii potens, liber, suarumque voluntatum Dominus, & Moderator. Secunda est, quia nullâ animi, vel imbecillitate, vel molestiâ, vel alio vitio laborabat: quamobrem

obrem gratiâ indigeret, quæ efficaciori quâdam suavitate ad benè, sanctèque vivendum certò induceret.

Gratia itaque, ut loquuntur, versatilis, gratia æquilibris, gratia ad utramque partem comparata, & gratia naturæ integræ propriissima, sunt per ipsos verba, quæ in eandem sententiam significandam recidunt. Atque ut de Adami innocentis, ita etiam de Angelorum gratiâ disputant. Hinc eidem gratiæ tertia pars Angelorum restitit, cujus dono cæteri perseverarunt: & cecidit quoque Adam gratiâ instructus, quâ stare fœliciter poterat, si modò voluisset. Firmum enim, ratumque habent, non aliam ob causam suavitatem in nos cœlitùs immitti, quæ consensum antevertat, & cui nemo unus dissentiat; nisi quia nihil boni amplecti possumus, nisi delectet; unde cum Adami animus omni voluptatum pellacia esset major, gratiam, docent, divinitùs acceptam moderari arbitrium potuisse, liberum ex æquo, & paratum ad utrumque, seù scilicet obedire, seù obsistere.

Sed post Adami lapsum ita nos comparatos esse volunt, ut non prior quidem illa modò explicata, sed efficacior, & alius omninò generis gratia subveniat necesse sit. Atque hunc sanè propriissimum fuisse dicunt errorem, in quo Pelagius olim laboravit. Negant enim ab illo plenam, atque perfectam Beatitudinis consequendæ facultatem puræ, nudæque (quam ipsi possibilem nolunt) naturæ tributam fuisse; quique aliud putant, hos, ajunt, Pelagianarum quæstionum, non satis peritos esse; Sed hòc hæreticum illum fuisse, quòd vitiatam naturam eadem planè gratiâ instrui, & comparari ad omne meritum affirmabat, qua potens satis erat, tumcum integra, sana, sibique constans valeret. Hòc enim spectare, quod Augustinus affirmat, tolerari potuisse, quæ Pelagius tradiderat de Naturâ, & Gratia disputans: Si modò primævâ, qua Parentes nostri conditi fuerant, sanitate potiremur: cum enim intolerabile omninò sit

4 Quæ vero jam nunc sint propria naturæ vitiatæ

afferere, Hominem nullo Dei munere adjutum, posse quidquam perficere aptum ad finem; hinc consequi putant, ut versatilem, quam vocant, gratiam lapso homini Pelagius concesserit non sinè errore; quam quidem sinè errore, innocenti impertiverat. Addunt hinc esse, ut Catholicæ Academiæ, & præcipuè Thomistarum, quæ non multis ab hinc annis est ipsis inter reliquas commendatissima, Nihil boni agere nos doceant, nisi gratiâ efficaciter determinante: Doctores verò Societatis, aliique multi, qui in gratiam ex se se æquilibrem, derivant efficaciam ex bono opere consequente, ut libertati plus justo tribuunt, ita in Pelagii hæresim turpissimè dilabantur.

Atque ut suæ gratiæ Naturam, Indolem, ac proprietates clariùs explicent, meminisse nos monent malorum, quibus laboramus omnes Parentum culpâ involuti. Præcipuum sanè illud esse, quod servi facti sumus peccati, quod sentimus aliam in membris legem repugnantem legi mentis, quod non quæ volumus bona, sed quæ nolumus mala, hæc agimus. Quæ quidem sacratum literarum oracula, ut putant, tumultum illum significant pravorum affectuum, bellumque intestinum, quo post Adæ lapsum miseri affligimur. Tota autem vis, quam inde patimur, si benè attendatur, illam ex propositâ delectatione proficisci autumant: atque in hanc rem Poetâ Authore uti Augustinum, nempè, *trahit sua quemque voluptas*. Certum itaque, compertumque habent, concupiscentis animi vitio ad voluptatem nos omnes duci, nec nisi hac duce quidquam agere, cum ex accisis, vitiatisque nostræ conditionis viribus liberè quidquam agimus.

5 Deducuntur duo explicatæ doctrinæ consectaria, quæ sunt diligenter notanda.

Hinc conficiunt duo positæ veluti doctrinæ corollaria. Primum est, nihil esse pro hoc naturæ statu impossibiliùs, quàm sinè gratiâ benè agere, & cum virtute. Quid enim, inquiunt, dici potest rectè revera factum, si ex pravo voluptatis amore unicè fiat neces-

se

ſe eſt ? Certè cum volentes deliberamus, amore aliquo ducimur, qui niſi erga Deum feratur (ſic enim diſputant) jubente gratià, erga nos ipſos fertur, nihilque eſt tertium, quod amantes ſpectemus: quidquid autem ſui amor præcipit, nonniſi vitio vertendum eſſe conſtat. Quamvis ergo ſuam aliquis vivendi rationem rectè accommodet ad illam morum doctrinam, quam, ut ait Tullius, è Cœlo acceptam Socrates Author tradidit; non idcircò nullo eſſe in vitio, ex eorum judicio putandus eſt. Enimverò aliquà etiam terrenà voluptate capitur, ut nempè gratiam, aut famam, aut dignitatem, aut gratum aliud quidpiam ſibi comparet: voluptas autem, ut agendi finis, ſinè aliquo vitio proponitur nunquam. Verum tantummodò eſſe ſubdunt, quod in hoc voluptatum genere, quia non tantum vitii ponitur, quantum reliquis ineſt a rectà ratione abhorrentibus: ideo honeſtis homo moribus, ſuique officii memor, erit quidem in rebus agendis minùs pravus, ſed tamen erit quoque pravus.

Neque aliam ob cauſam in eam quoque, ut puto, mentem devenerunt, ut non ſolum quæcumque, naturà duce, benè proſequimur, ea nobis aliquo in crimine ponenda eſſe exiſtiment: Sed ipſum etiam gehennæ metum, ipſum Patriæ deſiderium, quod Religione hauſimus magiſtrà, pro nihilo habeant; vitioſæque cupiditatis labe infectum damnent, quidquid ſincerà erga Deum charitate commendari nequit. Sincerà inquam; nam ſi aliquam à Deo expectet mercedem officii ſui, in vitio eſt.

Secundum, quod inde conficiunt, eſt, omnem quidem neceſſitatem ineſſe homini corrupto, ac vitiato, ut aliquà voluptate ad agendum inducatur: liberum tamen, integrumque eidem fieri, ut hac vel illà voluptate inducatur, modò ambæ ſint pravæ, ſibique, ut fit, contrariæ. Trahat, exempli gratià, retrahatque ancipitem cupientis animum hinc venalis dignitatis amor, inde

cupi-

cupiditas, & avaritia; poterit sanè vel contemptâ voluptate, quæ in comparanda pecuniâ ponitur, conquisitam dignitatem adamare; vel hac posthabita, abdito terris auro contentus frui. Nec laborandum, an hæc magis, illa minus animum afficiat, modò utraque intra vitii fines contineatur. Secùs enim sentiendum est de Cupiditatibus inter se contrariis, cum sunt ambæ vitiosæ, atque cum altera vitiosa est, altera recta. Quippè has inter deliberare infirmus animus nequit, nec suarum est virium debiliorem sequi, vehementiori rejectâ: Contrà inter illas potest, propterea quod actiones sunt aliquo in vitio ambæ positæ · & quamvis pravè agere sit fatum veluti, ac necessitas naturæ corruptæ; Hominibus tamen, hinc malâ, illhinc pejori cupiditate motis solutum existimatur agere vel magis, vel minus pravè. Hinc in suo voluit Augustino Jansenius *lib. 4. de statu nat. lapsæ c. 19. & 20. ut quocumque se verterit* (hominem loquitur gratiæ donis destitutum, & generali peccandi necessitate detentum) *in genere necesse sit, illum malè agere: sic tamen, ut in singulari nullum peccatum necessariò perpetret. Ibidem. Peccatum liberum est*, ut loquuntur, *quoad exercitium, necessarium quoad specificationem*. & c. 20. *Potest homo ab illo peccato, quod hic, & nunc facit, abstinere*. Atque huc referendum censeo effatum illud novæ hujus doctrinæ authoribus commune: nimirum neminem unquam ad certum aliquod peccatum determinari, liberæque peccantium potestatis esse ita, vel secùs, magis, minùsve, & in eam potiùs partem, quàm aliam, vel multa peccare, vel pauciora. Quam quidem veritatem diligenter attendi volunt ad Jansenii mentem pleniùs, ac faciliùs assequendam.

Ex morbi vitio hactenus explicato demonstrari putant propriissimam naturam gratiæ Redemptoris; quæ cum sit verè medicina, lenocinantis illius concupiscentiæ malo, contrariâ oportet efficaciâ medeatur. Quid

autem

autem pravis animi affectionibus, voluptatem vehementer appetentibus, adversetur magis, quam cælestis quædam delectatio, divinæque suavitas pacis, quæ sensuum illecebras vincat? Definitur itaque Gratia Redemptoris, Vitalis actio animæ indeliberata, effectum liberum antevertens, quæ divinitùs immittitur, & in suavi quodam desiderio, atque amore ponitur, cujus vi bonum propositum maximè placet.

6 Definitur Gratia Redemptoris, quam definitionem pleraq; eorum præcepta consequuntur.

Post hæc advertant primò, ex solâ Parentum culpâ, non autem ex voluntatis liberæ naturâ necessitatem hujus gratiæ inductam fuisse. Infirmitate enim, vitioque nostri animi factum esse, ut nihil jam amplecti possimus, nisi utcumque antea delectet, seù quod idem omninò valet, nihil unquam volentes aggredi, nisi voluptati, vel honestæ, vel turpi serviamus.

Advertunt secundò, quod perinde gratiæ suavitatem si modò sit vehementior, consequitur certissimè consensus bonus, atque certissimè consequitur consensus pravus libidinem sinè gratiâ ferocientem. Actum jam, inquiunt, est de primævâ libertatis potestate: voluptati serviendum. Est igitur concupiscentiæ, est gratiæ voluntati insuperabilis fortior vis, & concupiscentiæ indeliberati motus, cum ista abest, voluntatem ad malum certò alliciunt; parique necessitate in bonum abripit nos gratia, si illa deferbuit.

Advertunt tertiò, non aliam esse possibilem gratiam, nisi efficacem. Hoc verò non ita intelligi volunt, ut omnis gratia dicatur esse plenæ, perfectæque efficaciæ; Sed ita ut omnis gratia aliquam habeat efficaciam, nempe, ut tantum efficiat quantum valet. Etenim tantum valet, ut ratiocinantur, quantum delectat, sed quantum delectat, tantum efficit: hoc quippe postulare, statuunt, naturam infirmæ libertatis: Tantum ergo efficit gratia, quantum valet. Hinc si gratia majori polleat in delectando vi, quam reliqui pravi motus in contrarium obsistentes, plena pro eorum sensu, &

juxta

juxta eandem ratiocinationem gaudebit efficaciâ, bonumque consensum pariet: sin minùs, aliquam certè afferet ad peccandum moram, aliquam boni velleitatem excitabit, debiliori illi delectationi consentaneam. Quod si nulla prorsùs ex ipsâ delectatio in animum infunditur; nulla quoque est gratiæ efficacia, seù veriùs nulla est gratia.

Advertunt quartò, hac esse ratione disputandum de gratiâ spectatâ ex sese. Quod si ad alios, aliosque terminos gratia comparetur, poterit esse efficax eadem, & insufficiens. Patebit res exemplo. Delectet aliquem Eleemosinæ largitio magis, quam pecuniam nulli futuram usui conditam servare: ex parte altera delectet quoque magis indulgere genio, quàm supervacaneis quibusdam commodis abstinere, ut pauperibus subveniat. Erit quidem isthæc gratia ad avari animi vitium vincendum efficax: eademque erit insufficiens ad temperandum à voluptatibus propter charitatem, & benevolentiam erga pauperes.

Advertunt quintò, nihil esse monstrosius eo gratiarum genere, quod vocant Theologi Societatis, plenè simul sufficiens, & inefficax: quodque efficere bonum facilè potest, sed boni quidquam, vel efficit, vel efficiet nunquam. Etenim, vel in delectando valeat oportet omnis gratia, vel non valeat: primi generis gratia efficax est, & sufficiens; alterius verò generis, ut inefficax, ita etiam insufficiens statuitur; planèque non præstet, necesse est, quod præstare omninò nequit. Addunt hunc ipsum fuisse Augustini, Patrum & Conciliorum antiquissimum sensum; quodque inde consequitur, in eandem convenire mentem Ecclesiam universam. Neque enim aliam ob causam Semipelagianos damnatos fuisse intelligunt, nisi quia ineluctabilem gratiæ efficaciam minimè fatebantur. *Pervenerunt*, August. inquit, *lib. de prædest. Sanctorum ad Prosperum, & Hilar. pervenerunt isti fratres nostri, pro*

quibus

quibus sollicitata est pia charitas vestra, ut crederent cum Ecclesia Christi, peccato Hominis obnoxium nasci genus humanum; nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi Hominis aliquem liberari. Perveneruntetiam, ut praeventi voluntates Hominum Dei gratiâ fateantur: atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Non ergo idcirco haeretici dicendi erant, quia solius naturae viribus tribuebant justitiae originem, & causas, ad quam necessariam esse Gratiam praevenientem, ajebant expresse: multo minus, quia Gratiae, vel obtemperari, vel resisti posse dicerent, attentâ humani arbitrii naturâ: omnes enim id Catholici docent. Sed in eo unice fuerunt ab Augustino antea oppugnati, & postea ab Ecclesia damnati; quòd fidem inchoatam, & perseverantiam in fide negarent hominibus dari per Gratiam efficacem: eam nimirum, quae non esset communis bonis, & malis, sed discerneret bonos à malis: eam, de qua dictum est, *omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*: eam denique, ex qua totum gratuitae praedestinationis mysterium indissolubili serie necteretur. Quo gratiarum genere rejecto, reliquum erat, ut illud sufficiens admitterent, aequilibre, ac versatile, quo Natura etiam lapsa compararetur ad utrumlibet, perinde ac si primaeva foret, integraeque sanitatis. Atque hic idem, inquiunt, qui olim Semipelagianorum fuit, potissimus est Molinae error, qui doctrinam ex eorum fonte haustam Princeps in Scholas derivavit. Sic ipsi Augustini mentem in suam haeresim traducere non dubitant, quasi verò iste, Massilienses, non quòd salutis initium naturae tribuerent, errori caeperit, sed quòd docerent, iis Dei auxiliis Homines benè agere, quibus possent resistere, si vellent. Tametsi tum propè infinitus sit Catholicorum Doctorum numerus, qui inanem istam interpretatiunculam confutarunt, tum contra eam-

dem gravissima etiam Innocentii X. censura accesserit.

Ex his pleraque colligunt discrimina inter Gratiam Sanitatis, quam vocant, Angelis & Adamo concessam, & Gratiam Medicinæ, quâ vitiati nos reficimur, ac restauramur. Primò Gratia Sanitatis nonnisi pro integræ jam voluntatis arbitrio effectum sortiri poterat; contra Efficax ex se se est, subjectumque, atque infirmum arbitrium moderatur Gratia medicinalis. Secundò illa finem, cujus gratiâ data fuerat, in tertiâ Angelorum parte, & Adamo minimè assecuta est,
7 Ostenditur, quantum utraq. Gratia inter se differat. eademque in reliquis Sanctorum Angelorum ordinibus plenè obtinuit; hæc effectu, ad quem valet, caret nunquam. Tertiò Illa plenam liberè agendi potestatem perficiebat: potestati verò jam perfectæ erat integrum, seu velle, seu nolle: hæc contra tùm potestatem perficit, tùm reipsâ, ac certò efficit ipsum benè velle, ipsum benè nolle. Quartò Illa adjutorium erat ab Augustino centies definitum *sinè quo non*: quo scilicet absente, neque Angeli neque homines potuissent velle quidquam boni: hæc ex ejusdem Augustini Doctrinâ est *adjutorium cum quo*, quâ scilicet præsente, non possumus modò velle, sed volumus. Quintò Illa vires abundè fecerat, cui virium usus, ac fructus deerat: hæc nisi fructum præbeat, nè vires quidem præstitisse intelligitur.

Comparationibus etiam uti solent, quibus tantæ molis mysterium clarissimè omnium mentibus, & ipsis fermè oculis subiiciant. Sit, inquiunt, Pictor, qui suam artem solerter edocuerit Adolescentes duos: atque horum alter manum ex novo morbi vitio, vel debilem, vel torpidam sentiat. Moneat Pictor, aut hominem
8 Comparatio adhibetur ad discrimen clarius internoscendum. utrique coloribus ponendum, aut Deum; ideòque colores, tabulas, instrumenta comparet, & exemplum præterea obiiciat, quo ritè dirigantur. Illis jam præstituto operi manum admoventibus, advertat Pictor alte-

alterum impotenti, ut diximus, dexterâ laborare. Quamobrem illius manum, manu prehensam suâ, tabulæ accommodet, illâque utatur sequaci adducenda lineamenta. Profectò Adolescentes isti duo sanitatis, & medicinæ Gratiam bellè referunt. Primo enim valentiori fit tantummodo potestas pingendi, cum præcepta quidem, instrumenta, & exemplum data sint, quibus ad pingendum valeat; suo tamen ipse marte pingit; adjutorem operis adhibens neminem. Alterum non docet modò Pictor, quâ possit ratione pingere; sed manum etiam manu scitè propellens pingendo facit, ut pingat.

Sed tamen ex hactenus disputatis liberam benè, & malè agendi facultatem non mediocriter labefactari vident. Adsit enim Gratia (opponet quisquam) & melior suavitas; velim necesse est. Absit illa, æternùm nolim. Quando igitur erit, ut nolim, quî possum velle? &, quî nolle possum, velim? Quod quidem ex communi omnium sensu post homines natos ad liberè volendum, nolendumve, imprimis pertinet?

9 Respondent, nihil esse libertati inimicum, nisi coactionem; & modò sciens, prudensque ad finem aliquem obtinendum ex animi proprii sententiâ, propriæque voluntatis inclinatione movearis, ut ut certò, & nihil hærens moveris, tuâ tùm revera sponte, integrâque te moveri utentem libertate. Num quidquam agere sit tibi, ajunt, magis liberum, integrumque, quàm quod firmissimè volens agas? quod si quando dubiis diù in rebus ancipites versantur animi; infirmitas est illa nescientium, quò se vertant; non autem potestatis liberæ decus, ac perfectio. Sanè lectulo liberè manè surgimus, amicti honestè, nec nudi incedimus: cibos, somnos liberè capimus, officia omnia, ut bonos viros decet, liberè amicis præstamus: mores liberè sequimur patrios, cæteraque id genus sexcenta liberè agimus, quæ tam certò, & firmiter

Explicatur ex Jansenii mente ratio libertatis.

volentes agimus, ut nemo iis abstineat, nisi stultus. Unde tùm ratione, tùm experientiâ sit cuique manifestum: non versatili ad utramq; partem potestate libertatem poni, sed in voluntate, quæ cognoscens, adamansq, quidpiam propositum, quod cognitum antea, amatumque placuit, hoc volens sequatur.

Neque verò objeceris, futurum inde, ut sub liberi arbitrii facultatem ponendus sit tum amor ille, quo mortales omnes benè, beatèque vivere cupimus, tùm ille, quo Deo fruimur, Patriâ potiti jam, & Beati.

Etenim subjiciunt, quod si propriùs verborum sensus, & germana vocum vis attendi velit; uterque amor verè, proprièque liber appellandus esset: cum sit ille voluntatis liberæ rationis participis usus, ac fructus omnium præstantissimus; Neque aliam loquendi rationem Scotus ipse, & sui Scholâ usurparint: sed quoniam multùm differt inter amorem illum, cœteraque, quæ hìc amantes sequimur; non sinè meriti laude, gratiâ adjuti efficaci: idcirco contractior voci huic significatio scholasticorum usu fuit attributa, nè obscuritas orationi fieret, dum simili verbo plura, atque admodum diversa explicarent.

Primum igitur, si rem ipsam spectes, discrimen est, quod Beatitudo amorem sibi vendicat ex se se ab omni prorsus eam cognoscente, tempore omni, & loco, nec fieri unquam poterit, ut quis miser esse velit, vel ut ab amando Deum Beatus abstineat. Contra sub eodem illo Gratiæ pondere, quo quis consentit, contingere poterit ut dissentiat; Si alia in contrarium obsistat cupiditatis vis. Habet enim ex adjunctis, & consequentibus, non autem ex se se Gratia, ut bonæ rei amorem obtineat tempore, ac loco.

Alterum discrimen est, quod Beatorum amor vim nullam patitur contrariam: at Gratia omnis vires sentit cupiditatum inimicas, nec nisi pugnando vincit;

cit; unde laudis, meritique origo est, quæ inter Beatos locum minimè habent.

10 Accedunt eorum Nuperrimi ad libertatem *indifferentiæ* explicandam, quod verbum in scholas invectum, in magna, ajunt, æquivocatione laborare. Etenim si significet Molinianam illam indifferentiam, quà voluntas ita potest benè, vel malè agere, ut ad utrumlibet se se ipsa determinet effectivè, & pro libito: profectò hanc indifferentiam, neque consentaneam naturæ lapsæ, neque ad benè, vel malè merendum necessariam esse, apertè profitentur. Quod si vox hæc, *Indifferentia*, potestatem significet, quæ se ita determinet, ut sub aliâ, si daretur, voluntate, secùs se determinaret: seù potestatem, quæ peccat, nec peccaret cum eodem Gratiæ pondere, si, fortè defervesceret cupiditas; vel quæ non peccat, peccaret, si contra cupiditas excandesceret: si inquiunt, ita significet; sanè hoc genus indifferentiæ ad libertatem pro hoc naturæ humanæ statu disertis verbis requirimus. Quamobrem voluntatem ut liberam affetant, indifferentem etiam constituunt pro sensu explicato: proindeque liberam, non solum à coactione, verùm etiam, ut dictitant, à necessitate. Propterea quod, neque cogitur agere, quod agit, neque necesse ullo modo est, ut agat, quod agit; quippè quæ secùs atque agit, potest agere, & ageret quoque, si modò vellet, seù si voluntas indeliberata, quæ consensum liberum antevertit, in partem contrariam efficaciùs propelleret.

Sub quanam acceptione eam etiam libertatem consequentes Janseniani admittant, quam vocamus indifferentiæ.

Finge, inquiunt, quod ex Molinæ opinione voluntas libera semper ita comparanda foret ad utramlibet partem, ut eadem sub iisdem auxiliis, & adjunctis, modò ad bonum, modò ad malum se converteret: nihil esse boni meriti, nihil mali in illis omnibus, qui habitu firmissimè obfirmato, vel scelera sequuntur, vel virtutem. Abstinet, exempli gratiâ,

tiâ, carnibus propositis Vir bonus, ac pius die veneris: arripit auri summam temerè adinventam fur illi similis, cujus meminit Martialis, sua sibimet clam reposita ex furandi libidine surripientis: meretur ille, peccat iste, quis dubitet? Licet utriusque animus, & voluntas ab indifferentia per Societatis Doctores asserta longissimè abhorreat.

Uno itaque verbo, libertas indifferentiæ nulla inest nobis miseris pro hac naturæ conditione ad mentem Molinæ: hoc tantummodo sensu excepto, inest omnis: eâdemque ratione omnis quoque inest agendi necessitas, quæ sit infallibilitas: atque hanc si excipias, nulla inest coactio, necessitas nulla.

Ex hac necessitate, quam vocant solius infallibilitatis, gradum facilè faciunt ad illam benè agendi ineluctabilem difficultatem enucleandam, quâ justi etiam viri interdum laborant. Sentiunt quippè, quantam ex hoc eorum placito suæ ipsi Sententiæ invidiam comparatunt. Dicunt ergo, quod si quando cœlitùs non datur Justo obediendi copia, non potest ille obedire præcepto, etiamsi conetur, & oret, sed non ut

11 Quamnam afferant impotentiam, libertati minime inimicam, & quæ cum effectus infallibilitate est conjuncta,

oportet: addunt tamen, verba hæc, nisi ritè accipiantur, alium longè sensum exhibere posse, quàm qui ex apposita explicatione elicitur. Certè infallibilitas contemptus legum futuri fert aliquam iisdem legibus obsequendi impossibilitatem. Sed attendendæ sunt impossibilitates duæ, quæ immane quantum discrepant. Una est, quæ convenit cum necessitate propriè dictâ, & quæ à voluntate neutiquam proficiscitur. Impossibile mihi est Sacro interesse, horas Canonicas recitare, cum omni procul Ecclesia absum, cum non adest Breviarium ad manus. Hæc quidem impossibilitas à vera, propriaque necessitate ne minimum quidem abhorret, quippè quæ nullo modo à mea voluntate pendet. Altera impossibilitas consequitur solam infallibilitatem superiùs explicatam, & à voluntate proficiscitur;

tur; nam si vel otii amore, vel aliâ fortiori cupiditate ductus præceptum contemno; Cupiditas ista, quæ meæ voluntatis est morbus, pravum, deliberatumque consensum antecedit, & infallibiliter inducit. Quamobrem facit quidem mihi ita constituto præceptum impossibile, impossibilitate tamen, quæ cum ad malè appetentis animi cupiditatem pertineat, in vitio est. An non si meliori valerem ingenio, nec pigritiâ, sed ratione appetitus duceretur, Sanctis Ecclesiæ Legibus religiosè obtemperarem? Illo igitur priore genere impossibilitatis benè, vel secùs agendi voluntatem teneri ex assertâ Gratiæ efficacis, aut contrariarum Cupiditatum vi, ut hæreticum damnant: teneri verò alterâ, Catholicum esse existimant, & ex germanâ Augustini doctrinâ, si Superis placet, acceptum. Quemadmodum ergo plerique omnes dicimus, quod nolendi impossibilitas tùm, cum liberè volo, libertatem non offendit; quia ab ipsa fit voluntate, ejusque deliberationem consequitur: ita ipsi putant, libertati impossibilitatem illam non obesse, quæ fit à voluntate indeliberata, actionem liberam præeunte, & quæ cum excitatis animi appetitibus est conjuncta. Perinde ac si nihil differat, utrum dicas, libertate utor, quia licet velle nequeam, propterea nequeo, quòd firmum mihi, deliberatumque sit nolle; an, libertate utor, quia licet velle nequeam, hoc nequeo, quòd vehementior cupiditas facit, ut nolim. Hæc Janseniani de impossibilitate, quam dictitant, consequente. Verùm an ista disputandi ratione solidum periculosæ, labantisque doctrinæ fundamentum stabilierint; an imperitorum vulgo imponentes, peritiorum patientiâ abutantur; Sit licet eruditissimorum hominum opera satis superque manifestum, conabor tamen, ut meâ etiam, quâ potero, pateat in loco.

Hinc jam, quæ sunt reliqua ad divinæ prædestinationis mysterium pertinentia, deducunt veriùs, quàm explicant, rationibus planè necessariis. Etenim conse- 12 De Prædestinationis mysterio quid sentiant?

qui-

quitur, inquiunt, clarissimè, tùm Gratiæ omnis efficacis, tùm perseverantiæ magnum donum, sub divinæ voluntatis consilio esse positum: totumque prædestinationis negotium ad liberalem unicè Dei miserentis benevolentiam referendum esse; ut Scripturæ divinæ passim, atque ex earum verâ interpretatione Augustinus docet. Quos igitur Deus discernere, quos vocare constituit secundum propositum pro suâ ergà miseros pietate, hos gratiis instruit, quibus infallibiliter benè agant, pro constituto tempore, & loco; & quibus in acceptâ cœlitùs justitiâ perseverantes finem earum certissimè obtineant. Reliquum verò Reproborum vulgus, vel nullis ornat muneribus, vel illis certè quibus Patriâ tandem potiri nequeant; Atque ex primævæ culpæ vitio, ut amplissimam suæ justitiæ dignitatem commendet, ferventioribus cupiditatum motibus abripi illos sinit, quarum vi necesse est semper ruant in pejora, interitumque tandem sortiantur, omnium miserrimum.

Sed cum multò duriora sint ista, quàm quæ viri plenæ pietatis sibi facilè suadeant; toti in eo sunt, ut vitiatæ naturæ labem amplificent, quantum possunt. Idcircò, ut probabilissimam, inter reliquas, commendant Arminensis sententiam, qui expressè satis innuisse visus est, Infantes, nullo præter originis culpam

13 crimine detentos, non solum odiis, æternaque Dei inimicitiâ affici, sed ignibus etiam excruciari sempiternis. In hanc Jansenani mentem turmatim discessere, atque ad eandem illustrandam plura multo, & luculentiora, quàm Lutherus olim, & Melanchthon, ex Patribus, & Scripturis testimonia student congerere. Suæ nimirum causæ permultùm interest placitum illud, veluti severioris doctrinæ caput, stabilire, unde leniora aliquantò Auditoribus accidant, quæ sequuntur?

Ratio, quamobrem soli originis culpæ ignis sempiterni pœnas deberi doceant.

Certè necesse est, inquiunt, ut propè infinitus Infantium

fantium numerus non parentum, quid enim stultiùs? Sed suæ ipsorum originis vitio hanc sortem subeat: Divinæque sapientiæ consilia, & sanctissimorum judiciorum æquitatem non metuimus modò, colimusque omnes, sed etiam diligimus, & reveremur: tametsi nec remedia Deus præstiterit, ut plenè poterat, pœnasque exigat durissimas, & sempiternas. Cum itaque in promptu sint ista; mirari quisque desinet, vel ineluctabilem esse cæterorum Reproborum miseriam, vel nationes procul ab Ecclesia dissitas omni prorsus benignioris providentiæ munere destitui. Ingens quidem profectò est tot animorum immortalium ruina; sed cum in Adæ lapsum, tanquam caput, & originem refertur, unde naturæ universæ morbus, ac pestis extitit; planè intelligitur, nihil malorum, & pœnarum esse, aut fingi posse, quibus non æquissimo, Sanctissimoque judicio dignum sit genus humanum: solidæque hujus doctrinæ veritatem si religiosè consideramus, gratias veriùs agendas atque habendas Deo esse comprehendimus, quàm maximas animi nostri capere possunt; propterea quod, cum omnia in nobis ad perniciem perdita penitùs, & profligata essent, pro summa erga miseros benevolentiâ ad vitam non paucos immortalem, bonisque omnibus cumulatam delegit.

At verò (interpellet fortasse aliquis) Si in eâ, quæ agitur, generis humani causâ hæc sunt, cur non una sit perditorum omnium sors, par exitus, eadem pœna? num alii aliis habendi sint origine vitiosiores? Leviora quidem multi, atque etiam pauciora peccant; multi verò graviora, criminaque criminibus cumulant: at quonam æquo judicio in vitio ponantur ista; Si vehementiorem cupiditatum vim, quæ primævæ labis pœna, & desperatissimus morbus est, certissimè consequuntur? 14

Quanta sit ex originis labe pernicies, cujus pœnâ quidquid sequitur crimine nunquam vacat.

Hanc ipsam (subjiciunt) ob causam: quia vitiosam originem certissimè consequuntur scilicet axiomatis

loco habent, actiones turpes omnes crimine non vacare, etiamsi ex infallibili necessitate fiant; Si modò in culpam aliquam, tanquam in sui originem, & principium referantur. Cum igitur depravati Hominum mores modis planè ineluctabilibus ad nova scelera, novasque fraudes inducuntur, in vitio, secundum ipsos, esse non desinunt; novisque jure, ac merito pœnis sunt mulctandi; propterea quod ex Adæ lapsu, quæ sua eorum vera, & pessima culpa est, omnia derivantur.

Atque nunc tandem patet penitissimum Jansenianæ doctrinæ arcanum, quo docent, non oportere ad culpam contrahendam, ut qui peccat, noverit pravi aliquid in eo esse, quod peccet. Ignorantia enim legum præcipuè quibus natura ipsa humanos animos imbuit, licet haud voluntaria, seu invincibilis, ut dicitur, esse statuatur; proprissima tamen est primævi peccati pœna: proindeque, ut concludunt, ad peccatum excusandum minimè valet.

Mirum sanè quantùm sudatum à doctrinæ modò dictæ Artificibus fuerit, ut illi vis, atque authoritas conciliaretur: tum quia primâ fronte ob fucatam probabilitatis speciem arridere plerisque poterat; tùm quia hoc veluti cardine cætera eorum placita volvebantur, ad quæ stabilienda imprimis valeret. Sed principii cum errore conjuncti perabsurdæ consecutiones cum facilè essent animadversæ, & Romanæ accessissent censuræ; ea præcipuè causa fuit, cur ab hac tandem mente si minùs reipsa, certè verbis discedere plerique omnes coacti sint.

Totius enim modò dictæ doctrinæ summa quò tandem pertinet? quid statuit? nempè ut crimini vertenda sint, proindeque æternis luenda pœnis, quæ naturæ vitio pravè fiunt; sint verò nec ne plenè voluntaria, ad rem non pertineat. Primùm igitur, quæ ex furore commoti animi rationem omnem prævertente perperam aguntur, quæ amentes, quæ stulti, quæ phrenesi laborantes

rantes peccant, ea non essent sceleris expertia; quippè quæ vitiatæ naturæ morbi sunt, ac pœnæ. Deinde verò convellere videtur eam, quam animis nostris impressam habemus opinionem, ac judicium de divinâ bonitate. Tandem eò adstruuntur, & revocantur non pauca iterum iterumque censuris notata, & præcipua quædam Concilii Tridentini capita subruuntur.

Igitur, ut cuique ista paulò tolerabiliora possint accidere: quæ ex legum ignorantiâ imprudenter perpetrantur, tùm maximè ab omni scelere liberari non posse statuunt, cum ignorantia illa indirectè, ut loquuntur, voluntaria esse intelligitur. Sed verbum apud Scholasticos frequens, pro inusitata admodum significatione usurpant. Etenim indirectè voluntati ignorantiam ideò tribuendam subintelligunt, quia vel orandi studium quis intermisit, vel quia aliud quidpiam peccavit utcumque; quo si abstinuisset, lumen Deus adhibuisset ad legum præcepta assequenda.

Verùm si hæc ita habent, cum ardua res sit, atque adeò planè impossibilis, ut quis vel levissimis identidem abstineat noxis, vel quidquid rectè agendum sibi est, hoc semper diligentissimè absolvat; nulla prorsus esse, aut fingi poterit legum ignorantia, quæ nullo prorsus ponatur in crimine, utpote minimè voluntaria: quod nemo jam nunc Catholicus affirmare audeat. Præterea, si nihil utcumque est malè factum, quod non ex præpollente cupiditate certò fiat; præpollens autem cupiditas ex originis vitio nascitur: res est planè evidens, quod prior aliqua culpa admissa ex Jansenii sensu vitium in ignorantiam ita derivat, ut altius, & primum vitii omnis caput sit primœvæ originis lues. Quamobrem non dictum ipsi quidem recantant, sed latebram hìc quoque adhibent obscuritatis, ut eadem sentientes, si rem ipsam attendas, alia tamen aliàs verba accommodent ad rem pro tempore, & loco.

Equidem germanam Jansenii mentem hanc esse

intelligo: nimirum nihil scelerum, nihil pœnarum esse, quod non in originis labem recidat: ideòque jure, meritòque, & ejus mente exiguntur istæ, & illæ, quâcumque tandem voluntate fiant, crimini vertenda sunt.

Postquam ista Janseniani stabilierint, totam suæ doctrinæ molem construunt de facili: At si minimùm ab iis discesserint, jacta jam subruunt fundamenta, sibique ipsi consentire nunquam poterunt.

15 *Quibus definiatur terminis Redemptionis divinæ virtus.*

Huc pertinet, atque hinc consequitur necessarium doctrinæ lemma, quo divinam Redemptionis amplitudinem angustissimos intra fines concludunt. Certè si Jansenianis credendum est, ex donis omnibus auxiliisque, quibus Redemptor noster prospexit servitutis malo, prima est notitia veræ Religionis. Quamobrem mortalium illa pars maxima, quæ religione caret, omni quoque, pro eorum sensu, Redemptionis divinæ fructu caruerit necessum est. Quod si miserrimâ illis originis servitute obligatis, nulloque adjutis Redemptoris munere, quippè qui Religionis omnis, & fidei sunt expertes, decreto prorsus ineluctabili sempiterna est desponsa ac destinata pœna; profectò suæ eorum causæ status (quod ultrò concedunt) perinde habet, ac si, quantum ad ipsos attinet, Redemptor Christus non extitisset. Quodque inde consequitur, Reprobi, qui Baptismi gratiam sunt consecuti, perniciosiorem multò ruinam Deo Redemptori acceptam referent. Nam licet omni originis culpâ liberati esse intelligantur; non omni tamen liberantur ejusdem culpæ pœna. Cum illam eorum culpam expendens Deus, ordinem, seriemque auxiliorum inefficacium decernat, quibus certum interitum sortiantur. Quodque caput est, interitum sortiantur eò duriorem, quò crimina post acceptam Baptismi gratiam perpetrata, cœteris paribus, graviora esse existimantur.

Ad hæc, solidam apud eos Authores responsionem cum nullam comperiam; ut mei moris est, referam

sin-

sincerè, quæ ipsi verba, ut propositæ satis difficultati faciant, adornarint. Quamvis, inquiunt, Catholicus quisque necesse est cum Prospero fateatur, Christum pro omnibus omninò hominibus esse mortuum, quantum ad sufficientiam pretii, communem Generis humani causam, humanumque Christi Domini desiderium, pro omnium omninò hominum salute moriendi. Nihilominùs absoluta Christi voluntas divinæ semper conformis extitit, & procul dubio consensit æterno prædestinationis decreto, quo Deus certum electorum numerum destinavit ad coronam gratuitâ misericordiâ, rejectis ab hoc dono aliis pariter reis, quos in massâ perditionis reliquit. Illudque decretum, si nec precibus suis (quid enim magis à Christi voluntate alienum, quàm Sapientissimo Dei Patris consilio reluctari?) nec mortis oblatione mutare voluit; consequens est, ut neque perseverantiæ donum, neque salutem æternam reprobis verâ, atque efficaci voluntate voluerit promereri. Verâ, ajunt; nam voluntate minùs propriè dictâ, & quam Scholæ antecedentem appellant, an perditorum omnium vitam optare potuerit, non laborant. Cavent tamen, ne propositio illa temerè excidat, nimirùm, Christum pro electorum tantummodò salute mortuum fuisse, quam ut planè hæreticam, ita à sua ipsorum mente alienam profitentur. Quin imò monent expressè in hanc rem, quòd Christus mortem oppetiit prò eâ quoque gratiâ promerenda, quam plerosque Reprobos aliquando obtinuisse compertum est. Neque solum Gratiam habitualem, quâ, cum justi essent, fruebantur, sed etiam dona omnia supernaturalia illis incassum concessa è Christi morte, profusoque pro omnium salute sanguine, tanquam fonte, derivari.

Neque verò Jansenianos difficultas fugit, quæ ex hactenus positis consequens cuique objicitur negligenter etiam rem hanc attendenti. Hoc enim si volvitur

car-

cardine salutis negotium, non erit magis in eâ nobis laborandum, quam vel de temporum inclementiâ solliciti sumus, vel de aliis naturæ vicibus, rerumque

16 Inextricabilis proponitur contra institutam doctrinæ seriem difficultas.

eventibus, qui ex nullo nostro consilio contingunt. Propositum sic efficitur. Naturâ ipsâ hausimus magistrâ, nihil ineptiùs, nihil stultiùs fingi posse, quàm iis studere, eorum satagere, ea in deliberationem vocare, quæ non sunt posita in nostra potestate. Sed ex traditâ doctrinâ, quibus gratuitò Deus largitur Gratiam efficacem pro serie præstituta, illi certissima ratione aptè vivunt ad salutem consequendam: contra verò pessum abeant illi oportet, quibus deest: nihil est tertium. Ergo, si quem Deus elegit ad finem, & cui Christus Dominus revera volens finem promeruit obtinendum, huic præstò erit Gratia, & salva erit res; secùs è perditorum turbâ incolumis existet nemo; jacta erit alea, ut ajunt, nihil fiet cuipiam reliquum, quo consulat rebus suis, nisi fortè nondum inter homines nati, vel originis morbo liberari valeant, vel Deo Sententiam ferenti intercedere.

Argumenti hujus vim alii prætereunt, alii Thomistarum Academiæ solvendum mandant, quam eâdem dicunt laborare in Charybdi: Alii regerunt in Arguentes verba Augustini ad Julianum: *Homo es*, inquiunt, *ut homo falleris*: Alii, postquam mysterium esse fassi sunt rationis humanæ aciem percellens, vel monent cum

17 Ut Alii illam negligant, ut respondeant alii.

Apostolo, *noli altum sapere, sed time*: vel increpant: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* vel tandem exclamant: *o altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Alii ad propiùs, clariúsque explicandam difficultatem accedunt, quam tamen reipsa intactam relinquunt. Eò, inquiunt, hallucinantur sic disputantes, quòd Gratiæ efficaciam, ejusque naturam ex Jansenii mente explicatam non advertant. Cum enim contendunt,

dunt, quod, si vera sint illa, nemo alios prudenter moneat, de malè factis, nemo ad benè agendum Hortator sit, nemo vel aliorum saluti, vel suæ studere debeat, nisi stultus; non satis vident, quod, si gratia adest efficax, certò monendum, certò suadendum, certò etiam laborandum, pro sua, & aliorum salute erit. Subdunt præterea, Adversarios, cum ista obiciunt, non meminisse jam nunc eorum, quæ aliis antea in locis solebant obicere; sibique ipsos miserè nimis dissentire. Cum enim ex unà parte de accisis, profligatisque libertatis humanæ viribus Jansenium fatigare nunquam desinunt, quodque nihil, nisi duce gratià, certò deliberatum iri, doceat; ex altera non vident, quod, si divino numine salutis perficitur res, si, quæ ad salutem pertinent, nempe solicitudo, diligentia, studium, & si quid est simile, divino etiam numine perficiuntur; nulla tunc alicujus negligentia in salutis negotio peragendo esse poterit, nulla oscitantia, nullum otium. Num enim suæ fatagere salutis non debeat, cui suæ fatagere salutis necesse sit? Quærunt præterea, quamnam salutis solicitudinem Adversarii, hæc iterantes, loquantur? num indeliberatam, & quæ deliberationem præcedat? at donum est ista, & sub humanæ voluntatis arbitrio poni nequit. Num deliberatam? Quærunt rursus, langueat ne salutis studium in iis, qui Gratiam habent merè, purèque sufficientem, an verò in iis, qui habent efficacem? Priores, utut possunt, ex communi Theologorum omnium sensu, de salute soliciti nunquam erunt; neque ex Jansenii doctrinà extingui in iis solicitudo poterit, quorum animis nunquam nascetur. Posteriores, si Jansenium audiamus, certò erunt soliciti: Si Molinam, solà interioris Gratiæ spectatà vi, in dubio est res. Num igitur foveat servetque salutis studium sententia, quæ in ancipiti illud esse statuit; quæ verò certissimà ratione idem inducit, illa interimat, & extinguat? Tandem concludunt monendo, ut abstineamus, ab hac inutili disputatione

tatione ajentes, certò futurum, ut simus nostri valdè soliciti, ut benè, atque utiliter oremus, ut aptissimè alios doceamus; si ad hæc divina Gratia nos induxerit, seu, uno verbo, si secundum propositum Gratiæ ipsius vocati simus. Hæc Ipsi. At verò si nequeant fieri illa omnia, nisi dono Gratiæ, quam vocant victricem, si tunc unicè pro meâ, aliorumque salute orem, tunc ejusdem satagam, cum dominâ, atque ineluctabili voluntate ad orandum, ad satagendum inducit Deus; Sanè nec de oratione, nec de salutis studio satis prudenter laborem: propositaque initiò difficultas sibi constat.

Postremò integram pœnè dissertationem hac de re instituit Willelmus Wendrochius. Hic ille est suæ factionis Princeps, notis in epistolas ad Provincialem adjectis clarissimus. Scio, inquit, plus multò, quam par est, in hac difficultate plerosque hærere; quòd penitiora nostræ doctrinæ arcana nondum penetraverint. Quip-
18 pe datum abundè cuique est, ut suis etiam viribus de
Potissima Wendrochii responsio. salute satis aptè cogitare possit. Neque id dictum de oratione, & supplicatione putes, ad quæ efficienda, ut oportet, Dei gratiâ, dono scilicet gratuito indigemus; ideòque difficultas redit integra. Verum nonne quis poterit vitiatæ etiam naturæ operâ, ac facultate turpiorem delectationem rejicere, aliamque vitiosam, illam quidem, sed honestiorem sequi? Quodque hinc facilè consequitur, minùs, nec magis peccare, & de communi pravarum affectionum malo nonnihil demere? Infirmis sanè nobis, & malè valentibus, non est integrum aptè vivere ad salutem; Sed tamen ita malè agere necessum est, ut possimus a pejoribus temperare. Si res ita contigerit, atque ut ita contingat, in cujusque voluntate est positum; profectò, qui ex vitiosioris libidinis motu obsistit Gratiæ, eamque insufficientem facit, dum ex naturali honestatis amore libidinem compescit pro viribus, poterit ardere minùs: & quam Gratiam insufficientem probaverat, eam efficacem, & vi-

ctricem

ctricem experiri. Ecce Wilhelmi Wendrochii dialogum in *ep.* 18. *ad Prov. Deus certis temporibus gratias largitur, quæ propter valentiorem concupiscentiam effectu carent: quæ eædem si in minorem incidissent concupiscentiam, plenum, & integrum effectum habuissent: Quamobrem in hoc omnes incumbere, & invigilare par est, ut cupiditatibus suis, quàm poterunt maximè, compressis, & accisis, ad Dei lumen, quandocumque affulserit, accipiendum paratiores sint. Exinde fit præter alia, ut nemo queri possit, doctrinâ gratiæ desperationem ingenerari, inertiam afferri. Habent enim semper, quid agant homines, debent domandis cupiditatibus incumbere, si minùs charitate, saltem metu.*

Sed quid mihi (Familiaris, inquit, quem alloquitur) *proderunt humani conatus, cum nihil Deo placeat, nisi quod ipse spiritu suo in nobis operatur, ut vos toties nobis occinitis?*

Proderunt, inquam, tùm ut minùs malus sis, tùm ut Gratia minùs reluctantem offendat voluntatem tuam. Deindè, quod valdè notandum est, tametsi humani conatus ab amore sui orti revera vitiosi sint, licèt minùs, quàm illa scelera, à quibus nos abducunt; tamen ita nonnunquam vicini sunt charitatis actibus, ut plerumque ab illis in hac vita internosci non possint ..... Ita cum divinæ actiones ab humanis liquidò dignosci nequeant; habent semper, ut jam dixi, quid agant homines. Debent semper virtutum officiis fungi ..... Cupiditates domare. Sic viventes non habent illi quidem plenam, & omnimodam securitatem; possunt enim hæc omnia ex amore sui proficisci; Sed tamen multam non immeritò spem, fiduciamque concipiunt.

Hæc cum apud Wendrochium perlegerem, demiratus sum, fateor, quod acuto vir ingenio, suarumque partium studiosissimus, in eam non satis prudenter mentem venisset, quâ suæmet, ipso in tempore, doctrinæ immemor fixos jam Jansenianæ cardines convel-

leret. Temperet enim sibi quis, ut lubet, pecuniæ, sanitatis, bonæ famæ, aliove cujusvis rei amore, præter naturæ vitiatæ fines minimè positoratq;cum turpiorem jam his artibus restinxerit, meliorem divinæ Gratiæ flammam sentiat. Vincit jam ista, & præponderat: quodque necessariâ hinc consequitur ratione, pœnitentem animum ad mutationem Consilii, & pudicitiæ studium suavissimè inducit. Benè habeant omnia: Instituta vitæ melioris ratio uberiorem in dies Dei miserentis benevolentiam, & Gratiam comparet; finem vivendi faciat non sinè merito plenæ pietatis; Patriâ potiatur. Verum enim verò quonam, obsecro, fundamento nititur absoluta ab hoc viro moles sempiternæ fœlicitatis? Quodnam primum verè semen fuit, unde tandem desperatæ propemodum salutis fructus provenit? unica certè origo hæc est, quod honestatis amorem secutus pejoribus cupiditatum illecebris pro suæ, infirmæque naturæ viribus potuit abstinere. At nonne Pelagianam hæresim esse docent, honestis, & laude dignis operibus, si aliter fiant, quàm ex cœlesti delectatione charitatis, salutem utcumque attribuere? Nonne viam ad eandem salutem sibi aperire actionibus divinâ quidem Gratiâ adornatis, illâ tamen, quæ æquilibrem deliberandi facultatem non offendat, proprium esse Massiliensium errorem dictitare nusquam desinunt? Eo igitur labore ac studio ex perditorum hominum sorte secernere sese, locumque inter Electos obtinere, eo inquam, labore, ac studio, quod revera ex eorum sententia in vitio sit, quamnam inter novam hæresim, atque hactenùs inauditam referemus? Quod nec omnis præstet Naturæ virtus, nec Gratia illa, ut loquuntur, versatilis mereatur, hoc ne crimina ipsa perficiant? Quid quod calamitates, morbi, senectus ipsa, quæ ad compescendam cupiditatum ferociam plurimùm valent, novos quoque beatæ vitæ comparandæ fontes interdum aperient? Quin illi ipsi, quos sacræ literæ commemorant,

19 Quàm bellè hæc Jansenianæ Theologiæ subvertant fundamenta.

rant, postquam lassati fuerint in via iniquitatis, nullumque sit pratum, quod non pertransierit luxuria eorum; illi inquam ipsi, *si finem fecerunt tædia sæpè mali*, cum Gratiæ cœlestis vel minima suavitas illecebrarum pertæsum animum demulcet; salutis causam obtineant necesse est? & perditissimis, profligatissimisque hominibus, qui vires pœnè omnes exhauserunt, sibi, quam possent maximè, indulgentes, melior affulgeat spes Patriæ potiundæ, nonnisi ope plenæ, cumulatæque impietatis?

Sanè tam absurda sunt ista, tamque à reliquis hujus scholæ præceptis, & institutis abhorrentia; ut ex singulari ne quodam placito, an ex Communi suorum sensu ea Wendrochius edisserat, affirmare non ausim. Etenim ex una parte periniquè cum Adversariis egisse videri possum, si integram adeò Familiam in crimen vocem, propterea quod unus, vel alter turpiter deerraverit. Cum his etiam Doctoribus usuvenire possit, quod cæterorum ordinum Theologis est commune: aliud aliis placet. Verùm ex parte alterà Wendrochii disquisitiones iterùm iterumque recusas habeo: maximi, ut omnes norunt, momenti est isthuc controversiæ Caput: hoc potissimùm cardine tota vertitur res: nec fugere ista tot, tamque acuto ingenio viros potuerunt. Oportebat igitur, ut hallucinatum paulisper hoc in loco Wendrochium, aut parùm accuratè locutum fuisse, disertè profiterentur, rejicerentque, tanquam quid monstri simile, doctrinam, quæ ex eruditissimi hominis authoritate Janseniano cuique probatissima haberi poterat. Tantum tamen ista absunt, ut contrà, qui post Wendrochium scripserunt, libros illo Authore editos nullis ferè omnes non laudibus ornatissimos velint. Quod nimirum difficillimas de hac re controversias tantâ dicendi facilitate, atque elegantià explicarit, iisque comprobarit rationum momentis, ut nemo efficaciùs, nemo fœliciùs quæstiones evolve-

verit, & veritatem ab inutilibus, & captiosis verborum ambagibus vindicatam stabiliverit. Qualem itaque de purissimo, quem prædicant, fonte doctrinam acceperam, talem si candidè, sincerèque reddiderim, iniquus quidem profectò non sim. Sed ad propositam doctrinæ narrationem redeamus.

In unicam propositionem, Jansenianorum plerique, tanquam in doctrinæ universæ summam, præcepta fere omnia perducunt.

Nec prætereo, eorum plerosque, qui sub id tem-
pus scripserunt, alià etiam ratione suæ doctrinæ ordi-
nem instituere consuevisse. Nimirum ut unicum Gra-
tiæ ex sese efficacis dogma cardinem veluti statuerent,
quo tota Jansenianæ causæ machina verti intelligere-
tur. Ex hoc itaque fonte præcepta ferè omnia deri-
vari, atque in eundem certâ, & evidenti ratione,
20 tanquam caput reverti, graviter quidem, atque, ut
par est, demonstrant. Quam sanè rem ab ipsis facili
negotio, firmissimoque ratiocinio effectam censeo.
Omnesque, controversiarum, de quibus nunc agitur,
non ignari, in demonstratam planè veritatem, nullà-
que in quæstione ponendam, convenient quidem; mo-
dò tamen illud Gratiæ ex sese efficacis genus loquamur,
quod ex vera, sinceraque Jansenii, & suorum mente
esse, certò scimus. Etenim, cum semel indeliberati
amores, omnem animi deliberationem antevertentes,
quod gratius, ac suavius exhibuere, hoc obtinent; con-
sectaria sint oportet ea omnia, quæ de humani arbi-
trii facultate, auxiliis divinæ Gratiæ, & prædestinatio-
nis mysterio ex eorum sententià tradidimus.

Eò tamen hâc novâ ratiocinandi methodo spectasse apertissimè videntur; ut dogmatum serie in propositionem fermè unicam recidente, sententiam suam firmissimè stabilireot; eidemque tutissimâ veluti in arce positæ nihil à tot censuris, & Constitutionibus timere possent.

Enimverò habetis, inquiunt, quid tandem sentimus, qui tot ab hinc annis apud Populos, & Ecclesiæ Principes falsis criminibus in invidiam vocamur.

Queri

Queri jam nemo poterit, captiosis nos verborum circumlocutionibus malè uti, ut nemini de sincerâ nostrum omnium mente quidquam constet. Tota controversiarum materies verbo absoluta est. Gratiam scilicet volumus ex sese efficacem. Num de vocis à Scholâ conditâ usitatæ sensu quisquam ambigat? Num aliquid amplius luminis, & facilitatis requirat, quod huic prætereà quæstioni afferri possit? Hoc Jansenium ipsum sensisse arbitramur: aut certè nil aliud nos sentire sanctissimè profitemur. Hunc sensum, qui volunt, vel aggrediantur, vel sileant. Quâ autem fronte aggredi audeant, & hæreseos accusare Gratiæ ex se efficacis Dogma? Quod ipsi Summi Pontifices, cum Thomistæ olim, & Jesuitæ inter se disceptarent, eorum disceptationi ultrò reliquerunt? Idem Author, Ibidem: *Quis tam hebes, qui non intelligat Gratiam efficacem à vobis* (Jesuitas alloquitur) *impeti: quo nullum majus dedecus vobis possit accidere? Tantam hæc Sanctissima doctrina in Ecclesia authoritatem, ac venerationem obtinet. An non Romanorum Theologorum pars maxima, cæteræque per totum Orbem Academiæ ita sentiunt; ut multæ Gratiam efficacem per se ipsam admittant, nullæ ut hæreticam excludant? Accedunt religiosæ Dominicanorum, & Carmelitarum Discalceatorum familiæ, Oratorii Presbyteri, & Canonici Regulares, qui in unam omnes sententiam conveniunt de Gratia ex sese efficaci. De Augustini verò mente disputare, quid attinet? Certa hæc Augustini, Prosperi, ac cæterorum deinceps Patrum, certa Conciliorum, S. Thomæ, omniumque generatim Thomistarum sententia est. Sanè nisi omnium tandem oculi caligaverunt, nihil unquam à Scriptore ullo significantiùs, crebriùs, clariùs quâvis de re exprimi potuit, quàm efficacis Gratiæ tùm necessitas, tùm insuperabilis vis sexcentis in locis fuit expressa ab Augustino. Legantur modò libri de corrept. & Grat., de dono Perseverantiæ, de*

Præ-

Prædest. Sanctorum, de Gratia Christi; & nemo unus erit, nisi partium studio ardens ad furorem, qui Augustinum ita sensisse non fateatur. Quid plura? Tot inutilium quæstionum capita brevi concludimus Syllogismo: Intelligant Adversarii, & sapiant: cumque evidentiæ ipsi nihil aptè reponi possit, causam tandem deponant.

21 *Gratia se ipsa efficax totius est Doctrinæ caput: hac rejectâ rejicienda omnia: omniaque probanda, hac probatâ.*

Quibus id rationibus probare studeant?

Sed Gratiam se ipsa efficacem commendant Scripturæ passim, commendant Synodorum diserti Canones, commendant Patres; non aliam noverunt meliores veteris scholæ Theologi post D. Thomam; eandemque suis precibus Fidelium animis ab Ecclesia inditam esse intelligimus.

Igitur probatissima sint oportet reliqua, quæ tradimus, & quæ hanc consequuntur.

Satis jam fecimus, ut videmur, & brevi quidem, claré, ac distinctè, cavillationibus sinè fine oggestis: altero, nec enim piget, syllogismo, satis etiam censuris faciamus. Etenim nonnullæ (Molinani inquiunt) ex Jansenio propositiones excerptæ Romanâ bis, terve censurâ fuerunt notatæ; quam censuram universæ sub idem tempus Ecclesiæ consensus, quod caput est, commendavit. Pro quo tamen sensu, inquam? pro eo ne, quem ex Gratiæ per se ipsam efficacis dogmate evidentissimâ ratiocinatione confici apertè constat? an pro eo, qui vel Calvini, vel Baii, vel alium utcumque errorem continet? Prior sanè sensus nec proscribi divinâ illâ authoritate potuit, & ex proprissima tùm Jansenii mente est, tùm ex nostrâ. Posteriorem verò nos omnes ad unum Catholici, & quidem in proprio verborum sensu proscribimus. Confecta itaque est quæstio, nullam esse novam hæresim, nullos in Ecclesia hæreticos, quod fuerat propositum, sic efficimus, & clarissimè demonstramus.

Nulla

Nulla hæresis sinè hæretico dogmate: nulli hæretici sinè pertinacia in hæretico dogmate defendendo.

Sed nulla in dogmate Gratiæ per se efficacis hæresis; atque si nulla in hoc est dogmate, omnino nusquam est: nulla est eorum perversitas, qui damnatas propositiones sanctissimè damnant.

Igitur nulla est nova hæresis, hæretici in Ecclesia sunt nulli.

22 Jansenianæ hujus orationis partem, quâ nihil putant efficaciùs afferri ad rem potuisse, sub narrationis meæ finem consultò attuli; ut pateret, quâ viâ, quibus artibus, intra Thomistarum septa se tandem recipiant. Hùc spectat mos ille apud Jansenianæ causæ, vel participes, vel Patronos omnium sanctissimus, quo nihil habent usitatiùs, nihilque magis pensum, quàm verba, & ancipites sententias è Thomistarum scholà mutuari; ut Catholico ornatu, si fieri possit, turpissima hæresis incedere videatur. Neque verò, vehementer miror, quod imperitis tàm bellè imponant: indoctum vulgus, cum inspicere altiora nequeat, solà rerum specie facilè capitur, unumque pro alio identidem videt. Miror tamen, tùm quod fronte imperterrità libros ipsos hac de re edere Jansenianos, non pudeat; tùm quod, nescio quonam quasi Catholicæ veritatis fato, fucus iste Eruditorum etiam oculos percellat. Sed age, quid inter lucem, ac tenebras differat (hoc enim per hæc tempora in controversià poni potuit) ipsà ob oculos propositâ re, ostendere instituamus.

Non aliud his artibus spectant, quàm, ut in Thomistas evasisse vulgò existimentur.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

Exponitur mens Thomistarum de humanæ, Divinæque voluntatis Concordia, unde eorum Doctrina pendet de Divinæ Gratiæ efficacia.

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS. LIBRI SECUNDI.

1. *Refertur, ex altioribus Thomisticæ Philosophiæ principiis Controversiam pendere.* 2. *Initiò ab Ipsis quæri, quanam ratione Dei numen causarum efficientium motibus se misceat?* 3. *Primam, alteram, tertiam, ac quartam, quas nonnulli secuti sunt, sententias, passim refelli.* 4. *Motione igitur Dei proprissimâ opus esse.* 5. *Hanc definiri præcellentem impetum, quo Deus præmovet, quidquid res creatæ movent.* 6. *Nihil unquam hac sinè effectum iri.* 7. *Atque in supremo omnipotentissimi Dei dominatu poni.* 8. *Illâ moveri omnia multifariam; atque hinc divisionis occasionem factam esse.* 9. *Quæ igitur naturæ sunt, an motione indigeant, inter Thomistas disceptari.* 10. *Quæ verò morum; quod indigeant, apud omnes convenire.* 11. *Divisionem quoque eorum, quæ sponte, quæ cum voluntate, & quæ cum liberi arbitrii facultate fiunt, ab his Authoribus accuratè esse traditam.*

12.

12. Hujus tertii generis alia citra, alia ultra naturæ fines esse posita. 13. Utraque nonnisi motione divinitùs adhibitâ regi, ac gubernari. 14. Argumentis ex arbitrii naturâ petitis non multùm moveri. 15. Ex propriissimâ divini illapsus indole ostendi, convenientiorem arbitrio creato motionem hanc esse, quàm vulgus credat. 16. Thomistarum de hac re sententiam, comparatione adhibitâ, illustrari posse. 17. Variis ex eodem fonte petitis rationibus ita eos respondere, ut easdem ad sua placita confirmanda facilè detorqueant. 18. Duo diligentissimè adverti, quibus suæ eorum doctrinæ Summa ponitur. 19. Difficillimæ doctrinæ lumen afferri exempla perquàm accommodata. 20. Ex his tandem luculenter disputatis ad Theologicam, quæ agitur, quæstionem gradum facere: 21. Atque divinæ Gratiæ efficaciam cum libero humanæ voluntatis arbitrio conciliare: 22. Et primò antecedentem volendi, nolendive facultatem necessitate consequente offendi non posse. 23. Deinde sufficientes adesse vires, licet desit motio necessaria, quæ vires non facit. 24. Tandem posse divinâ motione induci, quidquid in voluntate naturæ est, quin illud ipsum, quod vitii est, inducatur. 25. Comparationibus multis, & exemplis confirmari eadem, atque etiam declarari.

ANtequam Thomisticæ Theologiæ Doctrinam de Gratiæ efficaciâ narrare instituo, idipsum, obsecro, perquàm diligenter attendat Lector benevolus, nempe narrationem me, nec dissertationem instruere. Neque enim in mentem aut venit unquam, aut venire potuit, ut ratiocinando aperirem, quantum in eâ veritatis momentum esse videretur; tum quia operam hanc Jansenianæ Theologiæ

 cen-

censura, quæ mihi proposita est, minimè postulat; tùm quia cum nuperis congredior Jansenistis, solà usus argumentatione, quam vocant, ad hominem, proindèque, ut veram ab ipsis, qui suam esse profitentur, accipere necesse est; tùm quia Pontificum decretis cautum graviter esse scio, ut ab ejusmodi controversià scripto peragendà tandem abstineamus. Disceptationum itaque scholasticarum arbitrio relinquens, an benè sentiant? Quid re quidem verà sentiant, narro, nec jus, ut ita dicam, sed factum attingunt, quæ sequuntur.

1 Refertur, exaltior hus Thomisticæ Philosophiæ principiis controversiam pendere.

Mentem Thomistarum de hac re planè comprehendere, meo ni fallor judicio, nemo poterit; nisi ad penitiores doctrinæ fontes, & principia accedat, quæ inter suæ ipsi Philosophiæ Instituta ponunt. Unde, quæ de Gratiæ divinæ efficacià, liberoque humanæ voluntatis arbitrio tradenda jam erit disciplina, faciliùs clareat. Difficilia sanè sunt, perobscura, acutisque scholæ sensibus asperrima, quæ peragimus: sed tamen ita sunt ex se invicem nexa, ut ab iis pertractandis abstinere nequeam, si rem propositam velim efficere. Quamobrem si minùs illa illustrari adeò poterunt, ut grata accidant metaphysicarum præsertim considerationum fastidiosis; certè explananda sunt, tamque distinctè, ac dilucidè exhibenda, ut omnes præcludantur cavillandi aditus. Hoc nisi præstiterim; pernicioso illo errore, quo innumeros infectos vidimus, Jansenianà scilicet controversià nonnisi Thomistarum doctrinam agi, æquissimos etiam rerum æstimatores liberatum iri frustra sperem.

2 Initiò ab ipsis, quanam ratione Dei numen causarum efficientium motibus se misceat?

Doctores itaque Thomistæ, ubi de præstantissima Dei natura, quæ mundum hunc regit, & dominatur, in Philosophia disputant: quærere ibidem instituunt; certa illa vis, atque impetus, quo causa omnis creata, ad motum apta, movetur reipsa, quibusnam rationibus Primæ ac dominatrici motuum universorum causæ famuletur?

Res

Res quidem est omnibus certa, atque explorata, Deum utpote principem rerum omnium causam, non solùm naturæ universæ, sed singulis etiam motibus, quorum natura quælibet est principium, summo, & supremo imperio præesse. Etenim si quid præstantissima Dei natura, quid subjectarum rerum servitus postulet, attendere velimus, ita inter se convenire, atque conjungi necesse est, ut vivere istæ ac moveri ne intelligi quidem possint, quin illius providentiâ vivant, & moveantur.

Porrò quânam ratione voluntas divina sibi subigat universa tùm creando, tùm servando, nullâ in difficultate videtur positum. At necessarius ille naturæ, causarumque efficientium famulatus, quo, cum quidquam efficiunt, & pro suo quæque ingenio moventur, non ex se solùm illæ, quo nihil est impossibilius, sed Dei etiam præsentiâ intimè movente, suos exerere motus dicuntur; perdifficilem, & perobscuram sub quæstionem cadit.

Etenim ad supremum, præsentemque hanc dominatum (ut Thomistæ fabricant) ritè explicandum, satis videtur non esse, quod causas subjectas Deus Princeps procrearit, iisdemque efficiendi vim impertiverit, qua deinde, plenè, cumulatèque perfectâ, ex se se ipsæ causæ, sine ullo Dei numine, pro suâ cujusque naturâ, ac indole, similes effectus parturiant. Quippe hæc olim fuit illa Durandi opinio, quæ jamdiù in schola obsolevit.

Neque verò divinam vim cuncta moderantem creatis se causis miscere putandum est, quemadmodum duæ interdum Coefficientes causæ coeunt, collectâque virtutem augent ad agendum. In his enim uni ex parte causæ, & ex parte alteri res effecta attribuitur, ut pro suâ quæque facultate ad efficiendum movetur, & suum cuique est in efficiendo munus, quod alteri est proprium, ab altera alienum. Contra in re

nostrâ, totus quantus effectus est, ad causas motas pertinet, ad causas, inquam, utpotè creatas, & subjectas; idemque totus etiam quantus est, ad principem causam pertinet, ad principem, inquam, causam, utpotè creatricem, omniaque sibi subjicientem. Hinc causarum Coeuntium una movet, movente alterâ, non ipsam, sed effectum communem; causa verò omnis, quæ alteri causæ subjicitur, nonnisi mota movet, nihilque est universè, quod non intimè, proximèque moveat Princeps Motor.

3 Primam, alteram, tertiam, ac quartam, quas nonnulli secuti sunt, sententias, passim refelli.

Præterea nec rectè quis existimet, necessarium hunc causarum famulatum, primo, optimoque Rectori servientem, adhibitâ instrumentorum comparatione, quibus sua artificia opifices perficiunt, declarari posse. Etenim nulla in instrumentis continetur elaborandi operis efficacitas; neque illa à brutis, inertibusque rebus esset distinguere, si Artificis ratio, motusque subtraheretur. Contra verò causæ suâ valent vi, seminaque continent effectuum gignendorum, qui proinde propriam causarum speciem, & decorem per se ipsos referunt.

Postremò perperam quæstioni huic respondere plerique passim à Thomistis existimantur; Cum, ajunt, naturam omnium, quæ suorum motuum est principium, ad motum reipsa perficiendum impulsam tùm intelligi, cum suo Deus nutu moveri ipsam jubet, atque unius divinæ voluntatis imperio, quæ tantam vocatur in quæstionem, rem totam perfici. Da, ajebant, mentis hujus Authores, causas ad agendum divinâ providentiâ perfectè comparatas, da easdem divinâ etiam voluntate pro suâ cujusque indole moveri jussas; nihil erit reliquum, quo minùs serviant, & ad Principis causæ nutum moveantur. Etenim responsio licet ista clarum fortasse faciat, quòd motibus Deus imperet universis, summique Rectoris leges natura omnis accipiat: tamen non satis explicat, quânam ratione non

solùm

solùm de causarum motibus deliberet, sed præcellentem quoque, ut summum Motorem decet, vim adhibeat, quâ revera moveat, & impellat. Nam ut primum illud est suum sapientissimi Gubernatoris, summique Domini attributum, ita est etiam præstantissimæ, primæque omnium causæ alterum: atque utrumque sibi Dei Optimi Maximi dignitas postulat, & natura: verùm hoc posterius stabiliri nunquam poterit, omni semoto impetu, quem causis jam jam se moventibus Deus inspiret.

Ob has ergo difficultates putant Thomistæ, quod cuique causæ, tum cum expeditissima esse intelligitur ad agendum, motionem Deus impertiat consentaneam, cujus illa ipsa sit, quam modo quærimus, proprietas, & facultas; nempe, ut causam, quæ posset quidem agere, ageret verò nunquam, præstantiori quodam, intimoque, atque ineluctabili motu ad agendum inducat. Hàc autem motione semel admissâ, facilem, planamque existimant rationem afferri, modumque explicari, tùm quo causas ad motum comparatas libero, integroque sapientissimæ Providentiæ Consilio Deus moderatur; tùm quo, quidquid unaquæque natum, facultate divinitùs acceptâ, potest perficere, illud re ipsâ, Deo etiam prævenire, perficit. 4 Motione igitur Dei propriissima opus esse.

Porrò ut ejusmodi motionis indoles plenè comprehendatur; triplex de eâ quæstio institui potest: quid, & qualis sit? quo spectet? unde proficiscatur?

Principiò hæc illa est forma, quâ promptis jam causarum viribus accedente, Rectori suo serviant illæ necessum est, summique Rectoris gubernaculo dirigantur ad effectus progignendos. Hæc facit, ut quemadmodum Deo vitam præbente vivimus, ita Deo etiam præmovente moveamur rationibus peræquè necessariis; Hæc denique Motori primo, ut par est, naturæ motus universæ subjectos præstat. 5 Hanc definiri præcellentem impetum, quo Deus præmovet, quidquid res creatæ movent.

Deinde eò motio explicata spectat potissimùm,

ut

6 ut illi re ipsa exerantur motus, illique effectus consistant, quorum singula causarum genera sunt principium. Torpeat siquidem Natura universa inertiam perferens sempiternam, nec motum præstiterit consequentem, qui secundarum, ut ajunt, causarum est propius, nisi antecedentem, qui ad primam omnium causam pertinet ex immisso quodam propulsu experta fuerit.

Nihil unquam hac sine effectum iri.

Postremò primus, ac supremus præstantissimæ, infinitæque naturæ dominatus ipsum est fundamentum, quo necessitas ponitur subjectas naturas, motione illà adhibità, gubernandi. *Nulla res creata*, ait *D. Th. in primam par. quæst.* 109. *potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis Divinæ*. Exinde fit, ut versare hac præcellente vi omnia, præcipuum sit Principis motoris, Deique munus: neque vel illo se abdicare Deus potest, vel creatam aliam naturam muneris hujus veluti consortem adsciscere. Aptam quidem, propriamque causis creatis vim fuit Deus elargi-
7 tus, quam sibi veluti adjunctam voluit ad eos pro causatum efficientium naturâ effectus progignendos, quos suo solùm nutu creare posset. Sed istam licet facultatem impertiverit, suum cuique efficiendi motum; illam tamen motum ipsum in certam partem primùm impellendi, tam non impertiit, quàm finitæ, creatæque naturæ impertiri prorsus nequit: quod infinitæ præstantiæ est, planèque divinum.

Atque in Supremi Omnipotentissimi Dei dominatu ponit.

Hæc, ut quam latissimè apud Authores suos patent, peragere visum fuit, quò fontem ipsum, & originem aperirem; unde tùm huic controversiæ occasio facta est, tùm rationes Thomistæ præcipuas deriva-
8 runt, ut suam illam de Deo omnia movente mentem confirmarent.

Ista movens omnia moliatur aut atque hinc divisionis occasionem factam esse.

Sed Princeps ista, atque dominatrix determinandi virtus non iisdem omnia modis versat: sed variam motuum pro varietate eorum, quæ moventur, indolem

lem motione etiam variâ, ut sua est providentia, accommodatè respicit, & gubernat.

Dividi itaque universè motus possunt in partes duas: sunt enim qui certis, constantibusque naturæ legibus fiunt; sunt qui sub ancipiti volentis animi facultate sunt positi; neque una est utrorumque determinandorum ratio. Cum igitur Deus propriam causarum virtutem movet ad effectus ipsarum Naturæ maximè consentaneos; tunc certum quoque, & ad naturæ ipsius leges accommodatum impulsum inspirat. Nisi fortè divino suæ Sapientiæ consilio malit illas refigere, ut non sinè miraculo sæpè contigit; stetitque Sol, ut novimus, ne Gedeon, perfectâ nondum victoriâ, militem reciperet: flammæque hinc corripuere impios, inde Pueros recrearunt, motione adhibitâ utriusque naturæ ingenio planè contrariâ. Cum verò suâ homines voluntate uti sinit, tùm id genus etiam motionem par animos infundat necesse est, quæ intelligendi, volendique facultatem ritè moderetur.

Porrò de primo illo motionum genere quid disputent, ne longus sim, libenter prætereo: nec enim nostri sunt instituti, nec aliam in dubitationem afferri solent, ac sint necne ad supremam naturalium causarum gubernationem supervacaneæ? Atque ut planè supervacaneas rejiciunt Thomistæ hujus temporis ferè omnes, qui cum causæ efficientes suaptè naturâ sint certis quibusdam effectibus addictæ; quamobrem novo iterum impulsu divinitùs addicendæ sint, minimè vident. Quæ igitur de altero genere fusè doceant, schola consentiente universâ, enucleanda jam sunt.

Atque etiam alia est huiusce motionis divisio pro triplici actuum varietate, qui ab humanis animis proficisci solent, & quorum diversa planè est disciplina. Primò enim multa Hominibus sinè vi, spontè, nec illibenter fiunt; quæ tamen nullo rectæ rationis judicio utentibus fiunt: ut in Pueris, amentibus, & semisopitis con-

9 contingere solet. Secundò, multa perfecta rationis, judiciique vi pollentes Homines non sinè consilio prosequuntur; ita verò sunt unicuique à naturâ tributa, ut, ne eadem prosequatur, integrum nemini fiat. Hoc fermè pacto benè, beatèque vivere omnes appetunt; oderuntque contra lugere se miseros: hoc sempiternus ille fervet amor, quem clara erga Deum in Beatorum animos cognitio ingenerat. Tertiò tandem multa, non solum ratione adhibitâ, sed plenâ etiam arbitrii facultate fiunt; ut cum post expensa rerum momenta deliberamus; & quod utilius, vel honestius, vel jucundius est, sequimur.

Quæ igitur naturæ sunt, an motione indigeant, inter Thomistas disceptari.

De tribus autem his actionum generibus primum à posterioribus differt, quod illud sit brutis etiam animantibus commune, quæ sponte ad ea se accommodant, ad quæ sensu moventur: duo verò reliqua nonnisi Hominis sunt, qui rationis est particeps, qui cursus, principia, consequentia, & antecessiones rerum

10 videt, præteritisque, & præsentibus adnectit, & conjungit futura. Præterea licet ex hac parte conveniant ambo inter se, quod scilicet non sinè ratione fiant, tamen in multis discrepant. Enimverò aliud est facere, quod velis, quod utrique earum actionum generi est commune: aliud, posse præterea secus velle, ac velis, quod nonnisi ad alterum spectat. Præterquamquod hæ quoque actiones sub consilii unicè deliberationem cadunt, de his consulimus, has vel reprehendimus, vel suademus, eædemque, vel cum vitio, vel cum virtute fiunt, unde pœnas, vel præmia sibi poscunt. Quæ quidem omnes quàm sint ab aliarum naturâ, atque ingenio alienæ, apertè constat: Quis enim laudi, merito, pœnis, ignominiæ, increpationibus, suasionibus, consilio locus esse possit, ubi de benè, beatèque vivendi studio agitur, quo omnes à natura imbuti sumus?

Quæ verò morum, quod indigeant, apud omnes convenire.

Et ne oratio, quæ lumen huic controversiæ adhibere debet, eadem obscuritatem, ac tenebras afferat;

ex

11 ex primis supradictis generibus, quæ primi sunt generis, *spontè facta*, quæ alterius, *facta cum voluntate*; Tertii autem, verè, propriéque *libera* appellare licet. Animadverti enim perperam hæc à quibusdam, & Jansenianis præcipuè confundi solere, verborum proprietate abutentibus.

Divisionem quoque eorum, quæ sponte, quæ cum voluntate, & quæ cum libera arbitrii facultate fiunt, ab his Authoribus accurate esse traditam.

Sed cum aliqua in dividendo omittere, maximum divisionis vitium sit; prætermittendæ non sunt partes duæ, in quas tertium, ac postremum actionum genus oportet distribuere; tùm quia singulæ præcipuas difficultates habent; tùm quia circa utramque nostræ potissimum controversiæ summa vertitur.

12 Quæ igitur cum liberâ arbitrii facultate fiunt, interdum intra virium naturæ fines continentur, interdum eos supergrediuntur, atque ab iisdem immensum distant. illa sanè nemo non noverit sui compos; ut cum, quod libitum est, sequitur officiorum, quibus honestas, ususque vitæ continetur, vel negligens, vel memor. Hæc verò cum ipsa sint bona merita, operaque ad finem sempiternæ vitæ consequendum apta, ordinis sunt planè divini, nec sub humanæ naturæ facultatem cadunt, nisi Gratia divinitùs infusa subsidio comparetur.

Hujus tertii generis alia citra, alia ultra naturæ fines esse posita.

His positis, cum omnium actionum istarum principium referri debeat in primam causam; nulla ferè in difficultate poneretur explicanda ratio, quâ divinæ humana subjicitur voluntas, tùm in iis, quæ sua tantum sponte, tùm in iis quæ sciens, prudensque facit, & vult, ita tamen ut minimè integrum illi sit secùs velle. Cum enim Deus sit naturæ cujusque causa, eamque, ut sapientissimè novit, compararit; profectò actiones hujus generis (eas excipe, quæ peccati originis sunt pœna) quemadmodum à naturâ, ita à naturæ ipsius Authore proficisci, compertum est. At verò in tertio illo actionum genere, in quo liberi, paratique ad contraria esse intelligimur; & possibile perinde nobis sit sequi,

 ut

ut malumus, ex contrariis alterutrum; in illo quidem usus ipse potestatis, ac deliberatio, quâ hoc potissimùm efficitur, an ad Deum ineluctabili vi moventem sit referendus? difficillimâ positum est in quæstione. Et si Cajetano ipsi credimus, multa quidem de hac re, quæ probabiliora cuique videri poterunt, comminisci facilè est; veritatem assequi mortalibus, est planè impossibile. Atque ita optimè sensisse quisq; putandus est, ut minimè tantâ in dubitatione definierit.

13 Utraque nonnisi motione divinitus adhibita, regi, ac gubernari.

Doctores itaque Thomistæ, qui altero præcipuè abhinc Sæculo post D. Thomam, scholæ Principes extiterunt, de hac jampridem imperceptâ humanæ, divinæque voluntatis concordiâ disceptare instituentes, rationumque momenta pro utrâque parte ponderantes, satiùs existimarunt, Divinæ virtuti omnia moventi ne minimùm quidem demere, quam humani arbitrii libertatem tutiori veluti in loco collocare.

Sic ergo ratiocinantur. Quod Deus se suâ potestate, præsentia, imperio abdicare non possit, quæ suæ sunt naturæ attributa proprissima, latet neminem; quodque, si incomprehensibilis arenæ atomus, si frons arboris mota falleret veluti præstantem illam, omniaque versantem providentiam, vel ne intelligi quidem Deus posset; vel illa arenæ atomus, motave frons esset Deus. Nullo itaque, non tempore ac loco; nullaque non ratione rebus Deum adesse universis, necessum est; atque ut singula, ita omnia gubernare, sive sint, sive moveantur, sive pereant, sive vivant. Quæ si vera sunt, & vera quidem esse confiteri quisque cogitur, qui naturâ etiam magistrâ novit, quale, & quantum sit Principis Rectoris, Deique numen: certum sanè, atque exploratum videri posse, liberos præcipuè animorum motus, in quibus virtutis omnis dignitas ponitur, suo Deum nutu decernere, ac moderari. An certas, atque constitutas naturæ vires, quæ honestate, ac decore carent, rerum omnium Moderator regat; humana verò consilia, & volun-

voluntates, quibus ad bonorum finem assequendum non sinè laude, meritoque ducimur, non regat? solæ ne res rationis expertes brutæque Divino Imperio coercentur; liberæque, ac solutæ hominum mentes, sinè ullo Dei numine sua ineant consilia; sibique ipsæ ex se se consulant?

Quotquot igitur hoc nostro ævo sunt Thomisticæ Academiæ viri, omnes refundi divinitùs sentiunt in humanos animos motionem, nescio quam, adjunctam quidem illam, atque intimam, sed inanimem, (nec enim de iis laboro, qui vel secùs sensere, vel secùs sensisse visi sunt) nec vivacem, cujus efficacià Deus Princeps voluntatem ancipitem certò inclinat, nunquam secus deliberaturam. Porrò motio hæc vulgò nunc *physica prædeterminatio*, nunc *divina præmotio*, nunc *auxilium determinans* nuncupatur. Doctrinam ex D. Thoma acceptam existimant, qui in 1. *par. quæst.* 109. *art.* 1. *Quantumcumque*, inquit, *natura aliqua, vel corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum prodire, nisi moveatur à Deo.*

Illud tamen perquàm diligenter animadvertendum monent, nimirum motionum hujus generis præcipuum munus esse, ut moveant consentaneè ad liberorum motuum ingenium, ac proprietates. Quemadmodum enim alia motio ignem ad calorem, alia glaciem ad frigus, aliæque alias causas ad suos progignendos effectus movent; omnes tamen idipsum præstant, quod suoptè ingenio tùm causæ postulant, tùm effectus: Ita sanè, quæ animum ad deliberandum paratum motio pellit, propriam integræ, solutæque deliberationis indolem sequitur, eamque adeò non offendit, ut veriùs stabiliat ac confirmet: atque hæc ipsa est divini impetus præmoventis natura ac definitio.

At quibusnam rationibus (plerique eorum inquiunt, quibus ista philosophandi ratio non placet) hæc duo conveniunt inter se, ut pro suâ quisque voluntate agat: & 14 Argumentis ex arbitrii liberi natura petitis non multum moveri.

 ne-

ineluctabilis, nempè divinitùs immissa in illam necessitas statuat, quid certò agat? De Imperio illo, ac summo Dei Dominatu, qui ut supremus, ita etiam suavissimus est, & naturæ rerum maximè consentaneus, dubitandum non esse, ultrò affirmabimus; sed hinc id tandem fieri videmus, ut possit facilè Deus pro suo arbitratu omnia efficere, & moderari, ut nihil illi unquam obsistat: jubenti, ut res singulæ naturæ indolem, & ingenium induant, exuantque pro solâ ipsius voluntate, atque adeò ut, si ipse velit homines liberâ utentes ratione, idipsum natura hominum postulet; sique velit, quâdam ipsos necessitate ductos agere, necessitatem, utpotè propriam, natura eadem amet, & sequatur. In promptu hæc sunt: (illi inquiunt): Non pugnamus. At verò quænam, seu vis, seu suavitas dominatûs ferat, ut, quæ Deus jubet, eadem nolit, sibique suâ dissentiat voluntate? Profectò, si liberos nos condidit, libertate nos uti jussit. Cum autem ad hanc certò partem ex pluribus, inter quas versatur libertas, necessitate omnium maximâ inclinat; nonne meritò videatur illud ipsum vetare, quod jusserat? & nolle liberos esse, quos tales, cum condidit, certè esse voluit?

15 Ex propensissima divini illapsus indole ostendi, convenientiorem arbitrio creato motionem hanc esse quam vulgus credat.

Huic difficultati, quæ vel potissima est contra positam ab ipsis Doctrinam, respondent: fore quidem, ut jura creatæ libertatis everterentur, si voluntas determinans, quæ est aliena, & ineluctabilis, eadem non esset divina; secùs verò, cum hæc ejusmodi est: & in id afferunt Scoti verba ubi in *4. dis. 49. quæst.* 6. hæc habet. *Contra naturam voluntatis est determinari à causâ inferiori; quia hoc ipso non esset superior, at non est contra naturam ejus determinari à causâ superiori.* Divina igitur, ajunt, voluntas, cum sit Princeps, & suprema, proprietates, indolem, leges, pulchritudinem, ingenium, moresque in rebus non invenit, sed facit; Propriorque, atque altior causa est optimæ ac pulcherrimæ rerum œconomiæ, quòd Deus ita eas digesserit

vo-

volens; quàm quod ita digestæ sint, ut earum naturæ ratio postulabat. Tantique effati rationem ab altioris doctrinæ origine petendam censent.

Itaque, ut notum fiat proprissimum hoc divinæ voluntatis attributum perquàmdiligenter in re attendendum; mundum, rerumque universitatem considerare nos jubent; tùm advertere, quod

Hoc quodcumq; vides circumq, infràq; supràq;
Volvere perpetuo labentia sæcula motu,

ratione, quàm possit optima gubernetur. Quod si petamus, quamobrem optimus sit iste administrandæ naturæ universæ modus? Profectò, cum Deus sit gubernationis Author, notare jubent, quàm alia, longèque diversa sit ratio respondendi propositæ quæstioni, ab eâ, quæ danda esset, si fortè mens aliqua creata hunc rerum ordinem gubernare fingeretur. Tunc enim omnia rectè administrari dicerentur, non ideo, quòd illis mens ista adesset gubernans; sed quòd modis omnia moveret, & regeret accommodatis, prout scilicet unicuique naturæ aptum esset. Contra eam ob causam sub divino numine rerum universitatem, ut nunc illa est, optimè, se habere, dicunt; quia ad infinitam divinæ voluntatis vim, ac præstantiam se accommodat. Unde inferunt, omnium denique rerum eam esse indolem, naturamque, quam Deus uniuscujusque esse vult; neque Deum ideò, talia velle, quæ esse vult, quod eorum naturæ insitum sit, non esse, nisi talia: sed contra potiùs, ideò hæc suaptè naturâ esse talia, quia supremus eorum Conditor vult talia esse. Quippè inventas naturæ leges sequatur necesse est voluntas inferior, ac subjecta, ne perturbetur rerum ordo, aptèq; moderari omnia intelligantur: Princeps autem, & Creatrix easdem antecellit, & parat.

Ingens quidem (subdunt) arcanæ, divinæque veritatis momentum subest pervulgatæ Augustini sententiæ, quam tantum ex pio quodam sui animi erga Deum sensu pronunciatam, non rectè quis putet; nimirùm,

non

non ita nos, nec tam intimè nobis ipsis inesse, quàm verè, propriéque nobis inest quodammodo Deus. Est quædam maximè omnium intima, & præstantissima ratio, ac vis, quâ Dei numen per nostrum omnium naturam, & proprietates infusum, fit ipsa cujusque naturæ virtus, singularumque proprietatum decus, & ornamentum: quod sanè meliùs, quàm Platonis errorem significarent illa Poetæ carmina.

Spiritus intus alit, totosque infusa per artus,
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

16 Thomistarum de hac re sententiam, comparatione adhibeta, illustrari posse.

Quamobrem cum earum rerum, quas Deus procreavit, decorem aliquem contemplamur, quo maximè capimur; tunc sanè, si anticipatis opinionibus animus liberari vellet; rerum veriùs Creatorem, ut ajebat Augustinus, quàm res ipsas inspectare fateremur.

Atque, ut mentem Thomistarum perquàm difficili in re aperire possim; comparationem adhibebo. Placuit nec paucis nostri ævi Peripateticis Renati opinio, quâ varios rerum colores non illustrari luce, ut vetus censuit Philosophia, sed nonnisi ipsam esse lucem docuit, quæ modis variis refracta oculos percellit, & sola apparet, & fit alius aliàs intuentibus color. Itaut verè admodum, aptèque ad rem cecinerit Poeta.

Et rebus nox abstulit atra colorem,

Quæ si vera sunt, nulla jam pomis, floribusque inest gratia, nullus arboribus decor, nulla auro, gemmis, ostro, vivida colorum vis; sed objectis per errorem corporibus attribuuntur, quæ sunt lucis propriissima, atque omnia lucis ornamenta, tam variè decoréque distincta, tùm etiam fugiunt imperitorum Hominum oculos, cùm solam intuentur lucem, & solà in luce sunt defixi. Simili fermè pacto, quidquid est decorum, maximèque laudabile, quidquid admiratione dignum, quidquid pulchrum, suave, aptum, jucundum, & quâvis ratione bonum, ad Deum ipsum se, suaque rebus hisce benignè impertientem propriissimè pertinet.

net. Deo fruimur, cum rebus gratis fruimur, alia omnia inconsideratè cogitantes. Sique supremus Author (siquidem id fieri posset) à suis operibus se se secernat; nihil in iis sit reliquum, quod placeat utcumque, & juvet. Neque veriorem aliam ob causam factum esse putandum est, ut ignis non luceat in Gehenna, flammas glacies non restinguat, & nec tenebræ occulant quidquid visu est horrendum, nec mors ipsa interimat miserrimos; omnisque tormentorum vis, tot, ac tàm inter se contrariis ferocientibus pœnis, nunquam remittat; nisi quòd Deus ita voluit: quippè adsit Dei præsens voluntas benigna; benè habent omnia: desit divinus ille favor ac numen, omnia perturbantur; resque singulæ bonorum, malorumve naturam induunt, pro solà Dei, seu Benefacientis, seu Vindicis voluntate.

Videri ista poterunt (Author, inquit, doctrinæ hujus amantissimus) animo præconceptis opinionibus occupato ad ornatum potiùs orationis, quàm ad Theologicæ disciplinæ dignitatem stabiliendam, afferri debuisse. Quisquis verò attenderit, quantum in his animadversionibus positum sit solidæ veritatis; illud jam mirari desinet, quod mirantur plerique passim, voluntatem scilicet divinam, cum humanæ in deliberando præest, suà illabente vi afferere, nec offendere liberam illius potestatem. Nonne cum Deus velit, jubeatque, fit suavissima lacrymis ipsis voluptas? Nonne cum de ingenti, quo versamur, salutis discrimine, anxii, solicitique sumus, firma & constans animi tranquillitas ex summo timore oritur? & ne diutiùs, quàm par est, in his immoremur, inter immanissimos cruciatus, acerbissimus idemque jucundissimus erat doloris sensus, quo sanctos Viros affectos fuisse scimus. Quæ quidem omnia comprehendere faciliori negotio possumus; si tandem statuamus, mundi hujus Moderatorem nulli naturæ obedientem, ac subjectum esse, sed rerum indolem, leges, moresque illius nutum sequi. Quamobrem cum

Deus

Deus æquilibrem hominum mentem pro suâ, ut decet, voluntate inclinat, tùm sanè non liberâ eam voluntate spoliat, non devincit fati necessitate, sed meliorem quandam arbitrii facultatem impertit, multòque præstantiorem, quam si ipsa (quod evenire nullo modo potest) plenè, perfectèque sui domina pro libito deliberaret, & ageret.

Præterea tam parùm rationibus moventur, quas

17 Adversarii ex arbitrii omninò æquilibris naturâ petunt, ut iisdem suam ipsorum mentem confirmare studeant. Quoniam (Thomistarum, ajunt Adversarii) omnis, quæ de rerum naturâ à ratione suscipitur institutio, ex ejusdem rei definitione proficiscitur; definiendus videtur usus, qui liberæ hominum ratione utentium facultati sit aptissimus. Profectò ille esse intelligitur, quo res ita fit, ut, ne fieret, in eâdem positum fuerit facientis potestate. Atque hæc si attendantur; sanè cum liberè quidquam dicimur effecisse; non quòd hoc, aut huic contrarium consilium susceptum sit, idcircò liberè dicimur effecisse; sed quòd hoc præ illo, ut planè poteramus, electum nobis sit, atque effectum. Certè dubitationes, deliberationes, animadversiones, laudes nonnisi ad res, quæ cum libertate fiunt, proprissimè pertinent. Cum autem consultamus, quærimus, dubitamus, in has, illasve sententias distrahimur; quid faciendum, quid vitandum sit, statuimus, pluribusque propositis, seù honestis, seù utilibus, quid maximè omnium placeat, definimus; tunc sanè in deliberationem nonnisi delectus cadit. Neque quòd hæc, vel illa ab unoquoque perfecta sint, laudi, vel crimini tribuendum ducimus; sed quod vel vitium virtuti, vel virtutem vitio posthabuerit: delectuque adhibito, quæ videbantur bona, sit prosecutus, rejiciendo contraria. Omnis itaque usus facultatis liberæ, & vera deliberandi potestas versatur unicè in aliis præ aliis deligendis. Quæ cum ita sint, atque idipsum sibi proprissimè vendicet illa determi-

Varia ex eodem fonte petitis rationibus ita respondere, ut eadem ad sua placita confirmanda detorqueant.

terminandi virtus, quam Doctores Thomistæ Deo attribuunt, omni prorsùs humani arbitrii, quantum ad primam, ac præcipuam motionem delectus attinet, facultate rejectâ; manifestâ illis adversùs Thomistas sic disputantibus videtur concludi ratione, vel nihil esse mortalibus reliquum, de quo deliberent; atque ut rerum omnium, ita humanorum etiam consiliorum ineluctabile imperium penes Deum esse, vel liberas hominum actiones à necessario illo erga motorem principem famulatu esse vindicandas.

Gaudent enim verò Thomistæ in eam, quam expectant, ratiocinationem Adversarios delabi. Et cernimus jam animo, subdunt, omnem morum honestatem, ac pretium in delectu poni, nec nisi à voluntate ad utrumque paratissimâ hunc habendum esse. Sed ista mirum quantum delectus ipsius Authorem, ac Principem Deum probant. Si enim in voluntate creatâ, totâque illius perfectione, cum ad efficiendum est prompta; nihil intelligi, vel debet, vel potest, quod ad alteram partem certò incliner; profectò à causâ ita comparata certum, quem speres effectum, nullum habes. An novâ quâdam, planèque impossibili vi deliberatam reipsa sequatur partem, quæ omnia habebat ad utramlibet indifferentissimè versatilia? Quod, spectato æquilibrio, præstitura ne concipi quidem potest, hoc ex se se, nullo addito inpulsu, præstet? sibique ad se se movendam sufficiat, quæ anceps, infirma, dubia, non habens, quò se vertat, sibi ipsa non sufficit? Rectiùs itaque ratiocinantes rem sic conficimus; Voluntas sui potens omnia videt posita in medio; nunquam igitur in alteram partem deliberatè ibit, nisi impellatur. Et rursùs: ex causâ ad certum aliquem effectum minimè factâ, nullo jure deliberatio certa expectatur, delectusque unius inter contraria consilii proficisci nequit ex animo peræquè ad omnia comparato: ergo qui per humanos animos unicè infunditur

Deus indifferentiam ejus determinat.

Neque verò vulgatissimum, discrimen illud ignorant, quod contrariæ sententiæ Authores statuunt indifferentiam inter quam vocant, *activam*, & *passivam*. Qui de utrâque ita philosophantur; *Passiva*, ajunt, quæ, ut ipsa verbi vis indicat, pati quidem multa, efficere verò nihil potest; si fortè sibi relinquatur virium expers & efficaciæ, nunquam suaptè naturâ quidquam præstiterit; & necesse omninò est, motum aliunde expectet, quo has, illasve induat rerum formas pro causarum efficientium naturâ. At peræquâ se habere ratione inter contraria consilia, atque aliud negligere, aliud respuere, aliud sequi pro arbitratu posse, virtus est in *activâ* quadam, & perfectâ voluntatis liberæ facultate posita; neque aliò spectat, quàm ut, quod vult, deliberare possit, & efficere. Si igitur velit, ut sanè potest; jam ipsa se se determinaverit. Quamobrem ex apertissima utriusque æquilibris discrimine effici contendunt, vel liberæ facultatis adjunctum esse proprissimum de ita, vel secus agendo decernere; vel, si Deus propriè idipsum definiat, non activam quidem, ac præstantem arbitrii vim, sed passivam quandam accipiendæ deliberationis capacitatem Hominibus concessam esse. In eandem rem exemplum subjiciunt divinæ voluntatis, quæ maximè omnium soluta sit, integra, & suorum consiliorum Domina; certâ tamen se se deliberat ratione: nisi fortè, vel dominatus iste liberrimus otium pariat, & quod potest omnia efficere, hoc nihil agat; vel alio præterea certi, decretique motus Authore indigeat, nullusque proinde statuendus sit Deorum finis.

Sed hæc quoque Thomistæ in sua bellè admodum placita traducunt; neque activam à passivâ, sed creatam, finitamque à divinâ, ac prorsùs infinitâ deliberandi facultate cum D. Thom. 1. *p. quæst.* 19. *art.* 3. discernendam fuisse reponunt. *Causa* (inquit Sanctus Doctor)

ctor)

ctor) *qua ex se est contingens, oportet, quid determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam*; Igitur, Deus Opt. Max., inquiunt, ille est, qui, ut Moysi Ipse de se testatur, unicè est: quodque hinc consequitur, divina unicè voluntas est ex se se ipsa libera, ut concretionis, ita servitutis expers, omnia sentiens, omnia movens, ipsaque prædita movendi vi primâ, supremâ, ac sempiternâ. Quod si tantum voluntati creatæ tribuendum esset, ut moveretur sui plenè potens, & ne participem quidem in eâ deliberandi vi pateretur divinam potestatem; nihil videretur esse causæ, cur non propriis divinæ, præstantissimæque naturæ attributis donanda esset. Quippè nec Deo impertienti deliberationem acceptam referret, nec subjectæ naturæ dignitatem è divino haustam fonte exhiberet; sed ipsa suæmet virtutis, & honestatis caput veluti, & origo existeret. At verò, quisquis Deo incedit minor, ut sui, ita suæ voluntatis Authorem se primum habere non potest; atque accipiat necesse est derivata dona, seù naturæ illa sint, seù virtutis; neque aliundè quàm à Deo ipso eorum omnium origo est repetenda.

13 Tandem, ut difficultates, quæ suboriri, inter disceptandum nunquam desinent, clariùs explanent; multa perquàm, diligenter advertunt, monitosque omnes imprimis volunt. Primum est, præcellentem illum Dei moventis impetum, neque causam esse, neque causæ virtutem efficientis; sed esse causæ, suis jam principiis efficientibus perfectæ, motricem efficaciam. Quæ inter duo magnum est, oppidòque notandum discrimen. Sanè non eadem est quæstio: Unde nam effectus esse possint? Atque, quamobrem certus hic effectus sit reipsa? Si primum quæras? causas subjiciunt Thomistæ, omniaque effectuum principia:

Duo diligentissimè adverti, quibus suæ veluti doctrinæ summa ponitur.

si alterum? Motionem reponunt jam explicatam.

Et ne quid præteriisse videar eorum, quæ ipsi in hanc rem tradiderunt: fuit olim solus, quod sciam, Cabrera, qui divinæ huic motioni qualitatis nomen, & proprietates attribuit. Virtus, ajebat, & agendi facultas omnis cum merè potens esse intelligitur, nunquam reipsa agit; & intantum agit, ex Aristotelis doctrinâ, inquantum est actu. Cum igitur motio hoc præstet potissimùm; ut quæ potens est causa reipsa agat; pertineat illa necesse est ad facultatem agendi expediendam, eidemque hæreat tanquam propria, ac vera qualitas.

Alii verò, quos refert Didacus Alvarez *disp.* 9. *de aux.*; hanc vel sentiendi, vel loquendi rationem respuentes, in longè aliam mentem venerunt. Igitur docuerunt, præmoventem Dei vim, si consideretur ex se se, ipsum esse supremi Rectoris nutum; & si terminus consideretur, quò spectat, nullam esse rem à creatis causarum motibus diversam. Sed horum alii volebant, ubi de liberâ hominum voluntate ageretur, nutum illum Principis, summæque causæ cum liberi arbitrii motu coire tùm tempore, tùm naturâ; Alii contra huic motui præcellere, duplicem, diversamque in codem rationem notantes, atque unus idemque actus liber, cum ad facultatem arbitrii, ajebant, refertur, est veluti eamdem consequens; non est autem, si, utpotè præmotionis divinæ terminus, ad summi Motoris numen referatur.

Verùm Didacus Alvarez, in cujus sententiam tùm Doctores alii, tùm Schola tandem consensit universa, neutrum probari posse luculenter ibidem disputat. Non hoc, inquit, posterius: nam nisi efficacitas, quâ facit Deus Princeps, ut velimus, esset reipsa diversa ab efficaciâ voluntatis, quâ nos volumus; neque verum esse posset, idcircò volumus quia Deus vult, nos velle; neque efficacitas voluntatis supremæ subjectam no-

stræ

ſtræ voluntatis efficaciam præcelleret. Non illud Cabreræ prius, & multis ſanè de cauſis: Primò. Si fortè motio eſſet qualitas adjuncta ad agendi facultatem, nihil ab habitibus differret, aliisque auxiliis ad cauſæ virtutem confirmandam accommodatis; hinc quemadmodum iſta faciunt, ut cauſa plenè quidem poſſit, interdum tamen agat, interdum non agat; ità hoc etiam qualitas illa præſtaret, & poſſet non movere reipſà, quo nihil eſt impoſſibilius. Secundò. Cauſæ ita ſunt ad efficiendum comparatæ, ut earum virtus induci perindè poſſit ad alios, aliosque effectus progignendos, qui ad cujuſque naturam ſinè certo numero, ac fine pertinent. Cum igitur motio neceſſitate omnium maximâ hunc ſibi unicè certum effectum vendicet; latè patentem illam cauſæ poteſtatem offenderet, ſi earum virtuti hæreret. Tertiò. Non alia eſt ratio, undè motionis divinæ neceſſitas petita ſit, niſi ut cauſæ ad agendum promptæ, atque expeditæ moveantur reipſà, & quæ plenè poterant efficere, tandem efficiant. Quod ſi qualitatis illa munus præſtet, virtutemque faciat expeditam, novus erit expectandus impetus, quo propellatur ad efficiendum reipſà, & nullus erit accedentium qualitatum finis. Quartò. Principia omnia quæ liberam arbitrii facultatem abſolvunt, æquilibrium ſuopte ingenio, ac naturà poſtulant: quid autem illis ad utrumque paratis inimiciùs motione, quæ alterutram duarum partium ineluctabili neceſſitate ſibi optat? Quintò. Res eſt apud omnes compertiſſima, virtutes, auxilia, habitus, quæ liberam benè agendi facultatem faciunt, ſub ipſa arbitrii poteſtate ponenda eſſe; quò iiſdem, prout maluerit, utatur, vel non utatur. At verò motioni ſerviunt univerſa; & ipſe eſt Principis cauſæ dominatus, cuncta ſibi ſummo Imperio ſubjicientis.

Utrumque igitur firmum apud Ipſos conſtitutumque eſt; tùm, motionem illam non ſolo divinæ voluntatis decreto contineri, ſed propulſum præterea eſſe

di,

divinâ voluntate factum, tùm ad causarum efficientium principia minimè pertinere; sed ad ea quæ suum quidem, ac Principem, inter agendum tamen reipsâ, locum obtinent, referri,

Atque ex his porrò concludunt, voluntatem divinam, atque humanam in præmovendo contrariâ, nedum diversâ ratione se habere, atque se habent in efficiendo; nihil scilicet effici, quod non utrique tribuendum sit, quòdque utraque non efficiat, suâ quæq; ratione, ac modo, & præstantiori quidem divina: At in præcellenti illâ præmovendi ratione jam explicatâ nihil humanæ voluntati relictum esse loci, solamque Dei voluntatem omnia occupare. Quippè ista est genuinum, ac maximè proprium principii dominæque causæ attributum, ut initio stabilitum fuit; & pro suo Deus arbitratu potest ad efficiendum in sui consortium adsciscere causas creatas; ad ita præmovendum non potest.

Difficilimæ doctrinæ lumen afferti exemplo per quam accommodato.

Doctrinæ, quæ subobscurior videri poterit, nonnihil
19 fortasse lucis exemplum afferet. Navigantes intuere, cum ad certum aliquod litus appellere contendunt. Sanè duo illa facilè discernas, nempè navigationis institutæ causas verè efficientes. & navigationem ipsam, qua reipsâ navigatur. Illas inter Principem Naucleius locum tenet, qui navigationis rationem præscribit, navimque eo potissimum cursu dirigit, gubernaculo adhibito, quo propositum litus tenere liceat. Sequuntur nautæ, qui Naucleri imperantis jussa efficiunt, & velis, remisque navem propellunt. Ab his verò tam navigatio ipsa secernitur, quàm effectus omnis à causis, & principiis è quibus proficiscitur. Porrò duo alia, & paulò subobscuriora in ipso navigationis effectu sunt attendenda: nempè motus propulsæ navis, & hæc vel illa, quà navis propellitur, linea ac via. Hæc licet reipsâ sejungi nequeant, sub duas tamen, longèque diversas considerationes cadunt. Certè nulla est causarum efficientium, quas diximus, quæ pro suâ cujusque

jusque indole navis motum non præstet: quod autem per hanc maximè lineam navis deducatur, nonnisi ad Nauclerum pertinet; ejusque rei princeps Ille ex hac parte, atque unica causa est. Porrò idipsum Nauclerus non efficit, nautarum usus viribus, principiisque, & causis propellentibus motum; sed gubernaculi efficit normâ, quæ, cum reliquis ad navigandum necessariis accesserit, per certam, definitamque viam navigatio instituitur. Attende jam: nam si in nostræ vitæ gubernandæ negotio Deum cum Nauclero, cum gubernaculi lege motionem contuleris, quam loquimur, multa perdifficilia, & perobscura ob oculos posita videre poteris. Sanè, ut unus navem Nauclerus non propellit; sic non omnia in rectè factis præstat solus Deus: Quod hoc potissimùm cursu dirigatur navis, Naucleri est; Deique misèrentis primus ille impetus, & determinatio, quâ rectè potiùs quàm pravè agamus: quæ sunt motus principia, & causæ, ad varios, pro ventorum, tempestatumque vicibus, cursus sunt perindè omnia accommodata; & accommodata perindè sunt in utramque partem semina, & origines, quibus benè agendi virtus constat: Gubernaculi certa lex à certâ etiam lineâ sejungi nequit; & ab hoc certo opere nequit quoque sejungi hæc certa motio: Nulla quidem est in gubernaculi normâ, quæ in velis, remisque propellendi vis; nec ulla pariter in motione pars est effectricis illius virtutis, quæ habitibus, & auxiliis inest: Prompta sint omnia ad motum oportet, antequam gubernaculum Magister adhibeat, parique modo Deus virtutem agendi nonnisi efficacissimam movere potest. Hoc norma gubernaculi motum prævertit, quòd motui legem præscribit: Hoc effectui motio præcellens est, quòd hunc certum effectum reipsâ inducit. Si quid in Naucleri arte, consilio, nautarumque viribus esset certum, ac definitum; non varius, sed unicum navis cursum tenere posset: & si movens ille impetus ad facultatem

tem agendi pertineret; hæc libera, æquilibris, & solata ad multa efficienda non esset. Postremò, si ad causas navigationis comparandas gubernaculum esset adhibendum, alio accedente gubernaculo esset opus, quo per certum iter navis dirigeretur: parique ratione accedere motionem oporteret, qua voluntas reipsa hoc certum ageret, si prior motio suum sibi locum inter agendi principia vendicaret. Neque verò ab hoc exemplo abhorrentem Thomistæ existimant D. Thomæ sensum, ubi motionem, in qua disputatur, non instrumentis, sed impressis legibus contulit, quibus Artifex instrumenta adhibens opus elaborat.

His, ni fallor, rationibus tota res explicatur ex Thomistarum mente. Cavendum perinde existimant, nè qua efficiendi virtus in eâ motione divinitùs infusâ statui intelligatur; ac ne, qua præmovendi virtus attribuatur principiis, causisque efficientibus usum liberæ potestatis; Quemadmodum enim sinè ulla controversiâ vis libera efficiendi principia respuit unam deliberatò partem inducentia, ita inter ea omnia, quæ, utpotè talia, ad efficiendum requiruntur, referri nequit divina motio.

Postremum, quod sedulò animadvertendum Thomistæ monent, est, quod sicuti potestas libera intelligitur esse omni ex parte perfecta, motione illâ nondum intellectâ; quæ ad efficientem causam, ut modò diximus, & agendi principia minimè pertinet; ita cum primùm illa esse intelligitur, intelligatur necesse est effectus liber reipsa esse. Est enim veluti ipsius actionis liberè effectæ impellens comes. Cujus attributi causam brevi hoc syllogismo contineri putem. Nec reipsa fieri, nec mente unquam fingi poterit, ut secernantur hæc duo, nempè effectum liberum reverâ esse, & hunc certum, præ alio possibili effectum esse. Sed si ejusmodi impulsus notio insinciatur, hoc ille fert potissimum, scilicet ut ex alterutris, ad quæ voluntas

luntas libera est parata, hoc certum, & præcipuè fiat. Igitur nec re ipsa contingere, nec cogitatione fingi unquam poterit, ut hæc quoque duo, nimirum impertitus impetus, & effectus reipsa consistens, discernantur; alterumque utcumque præeat, alterum consequatur. Quamobrem cum motionem hactenus explicatam Thomistæ plerique omnes modò præmoventem, modò prædeterminantem, modo actione, & certo motu priorem faciunt; non aut tempore, quo nihil est impossibilius, aut illâ verè ratione priorem esse volunt, quâ causæ efficientes hoc imprimis gaudent attributo: sed hac longequè aliâ volunt, nimirum tùm dignitate, ac præstantiâ, tùm vi priorem esse, utpote Dei omnia moventis propriissimam, seu, quod in eamdem ferè redit sententiam, eo solùm ordine priorem esse, quo supremus rerum omnium Motor liberorum, subjectorumque motuum gubernationi præest. Verbo; hæc sibi ex eorum mente veritas æternùm constare debet; Tùm nos determinatè hoc certum volumus, cum Deus Princeps vult, nos ita velle.

Duriora hæc plerisque accident; tùm quia, si Thomistas excipias, Authores alii, Societatis præsertim, quid inter actum, certumque actum, quid inter consilium susceptum, primamque consilii suscepti determinationem intersit, minimè vident; tùm quia antiquiores Thomistæ ante institutas de auxiliis disceptationes non satis distinctè explicare illa consueverunt. Nonne (inquient vulgò non pauci) divina voluntas ex hujus Scholæ mente est Princeps causa effectuum omnium liberorum? Nonne motio divinitùs in humanos animos infusa motum liberum certâ ratione inducet? Nonne hac Deus motione, veluti Instrumento, utitur, quò liberas hominum voluntates constitutis suæ Providentiæ legibus moderatur? Nonne tandem creatæ voluntatis infirmitas, quæ nihil ex se se deliberare unquam posset, divinum motum expectat? Cur igitur

L impe-

impetus ille præmovens non sit vera, & efficiens consilii, ac voluntatis susceptæ causa? Cur non suaptè naturâ sit perfecto opere prior? Cur vires perficiendi operis non præbeat? Verum utut verosimiliora ista à multis haberi possunt; certè à Thomistarum disciplinâ longissimè abhorrent, quibus inter disputandum positum in more est, determinationem ipsam à determinato actu in multis discernere. Determinationis, quænam sit Princeps forma quæras? Motio est, ajunt, pro Supremo Dei arbitratu infusa quidem ipsa per humanos animos, sed inanimis; quæ autem forma determinati actus? vera vitæ actio, & motus intelligentis animi liber, ac solutus, qui vitio, vel virtuti, sit tribuendus. Primæ, roges, quænam est materia subjecta? Animus ipse rationis particeps, qui merè passivè se habeat ex hac parte: Quæ autem alterius? Idem sanè animus, qui verò ut patitur, ita quoque agit inter id genus motus, & actiones; quod ex nostræ sanioris Philosophiæ præceptis compertum, exploratumque est. Postremò quænam est, inquias, efficiens illius causa? Princeps illa, ac dominatrix, divinique proprissima imperii vis, undè naturæ motus pendent universi; quæ verò hujus? causæ efficientes, seu veriùs coefficientes, sunt divina, atque humana virtus, quæ in perficiendo deliberato actu suas quæque partes præstant. Non igitur motionem hanc adinvenere Authores sui, ut causarum tùm naturalium, tùm liberarum principia statuerent; non ut singulorum effectuum indolem, & proprietates explicarent, non ut eam assererent summi Numinis præsentiam, quæ necessaria est, ut cuncta vivant, & moveantur: nihil enim in his, quod sciam, à communi omnium sensu discrepant. Sed eò tantum spectasse visi sunt, ut præcellentem quendam impetum Deo attribuerent, quo causæ omnes, vel ad unam partem comparatæ, si sint naturales, vel ad utramque, si sint

libe-

libertæ, ad reipsa efficiendum propellerentur.

Hæc tamen, quæ tradita modo, atque explicata 20
sunt, intra naturalis Philosophiæ præcepta, institutaque contineri constat. Ad creatæ enim, finitæque naturæ considerationem spectant universè: nihil cum humanæ naturæ morbo, nihil cum propè infinità ejusdem dignitate, ad quam Clementissimi Dei providentia erecta est, conjunctum habent.; Et licet Adamus nunquam peccasset, vel genus humanum nonnisi propriis naturæ suæ bonis gauderet; eadem tamen esset de divinà motione quoad actus liberos, quæ nunc est, dubitatio: eandem omnia caderent in quæstionem, eàdemque ratione, ac pacto ex Thomistarum sensu controversiæ causa definiretur. Fusiùs tamen illa pertractare visum est, quam mei fortasse instituti ratio postulabat; tùm quia Jansenianam divinæ gratiæ disciplinam à Thomisticà toto dissitam, discretamque Cœlo imprimis manifestant; tùm quia, quæ tradenda jam erunt, ad Theologicam Gratiæ considerationem spectantia, ex iisdem necessarià prorsus ratione pendent; nullaque ferè in difficultate posita affirmantur facilè à suis Authoribus omnia, nihil in iis habentibus reliquum, quod quærant; Sanè eorum schola, in tanto divinarum rerum mysterio explicando videri poterit multò felicior, quàm in stabiliendis positæ doctrinæ fundamentis firmior esse videatur.

Ex his eandem fusè disputatis ad Theologicam, quæ agitur, quæstionem gradum facere.

Quæ multa de arcanis divinæ providentiæ consiliis, de æterno Sanctorum inter Reprobos delectu, 21
difficiliùs disputantur in scholis; ea tandem ad divinorum præsertim auxiliorum efficaciam omnia revocari, res est Theologis viris compertissima. Tria verò sunt auxiliorum efficacium adjuncta proprissima, quæ & difficili cum versentur in quæstione, alios in alias sententias vulgò distrahunt. Primò, Efficacium præ inefficacibus auxiliorum largitio sub Dei imperium, & dominatum ita cadit, ut nonnisi suprema illius vo-

Atque divinæ gratiæ efficacia cum libero humanæ voluntatis arbitrio conciliare.

luntas ftet pro ratione, cum eadem impertitur. Secundò, Hoc funt auxilia nomine efficacia, quòd nunquam eveniat, ut inftructa ipfis voluntas malè utatur; atque ipfa inter, bonumque ipforum ufum, infallibilis verfatur conjunctio, & neceffitudo. Tertiò, Solutam, ac liberrimam arbitrii facultatem non offendunt; ac benè, honeftè, & cum virtute factis meritum, utilitatem, ac pretium comparant.

Quàm parum, ajunt Thomiftæ, fibi ifta confentiunt fi fpectentur in fe fe! Si verò ex noftræ Doctrinæ Inftitutis componenda, & conjungenda fint, quam contra bellè, & convenienter cohærent, miro fanè ordine, & conjunctione inter fe invicem nexa! Agite enim, & motionem illam animo proponite præjudicatis opinionibus liberam. Quæritis ne, an Dei nutu maximè pendeat? Inftrumentum fuapte naturâ eft, quo adhibito, motus omnes quaqua verfum Deus inclinat, & præfentiffimo numine gubernat, ut maximè libitum eft, ac moderatur. Quæritis iterum; num ad bonum partem fequendam eadem motione affectus animus certò inducatur? Certè nihil eft, aut fingi poteft, cum bono ufu conjunctius virtute ac formâ, quæ facit ex fe fe propriiffimè, ut verfatilis voluntas acceptis donis, benè potiùs utatur, quàm malè. Quæritis tandem; an integram hominibus fui arbitrii poteftatem relinquat? Statutum, confirmatumque planè eft, cum ea de caufis, earumque motibus ageremus, fuas pro cujufque naturâ proprietates divinâ illabente vi, non everti fed ftabiliri. Quamobrem ad perobfcuræ quæftionis explicationem nihil videtur accommodatius defiderari potuiffe: divinifque auxiliis accedat motio, quæ bonam fuopte ingenio partem fequitur, efficacia quidem profectò funt, iifque imprimis adjunctis gaudent, quibus ipfa efficaciæ notio, ac vis continetur.

Atque hæc (fubdunt ipfi) cum rationibus tandem confirmata effe videantur planè exquifitis, mi-

rum

rum quantum idonea sunt, ut quæ proponimus, reliqua conficiant. Sic enim Deus liberam hominum voluntatem in assequendæ salutis negotio pro arbitrio regit; sic, quò vult, sinè necessitate ducit; sic summè versat benevolentià Electorum sortes, eorumque mentes boni propositi sub mortem tenaces facit. Sic mortalium voluntas divino illo Spiritu intimè, ac suavissimè confirmata, liberrimis quidem, sed, qui sinè dubio ad finem perducant, agitur motibus; ità temperato cum hominum infirmorum libertate Dei Omnipotentissimi dono, ut neque huic versatile arbitrium, neque illi certa, constans, atque ineluctabilis Dei voluntas quidquam demat.

Hæc ipsi, quæ ex Superioribus Thomisticæ Philosophiæ præceptis tam manifestè effici liquet, ut nec longiore, nec dilucidiore narratione opus habeant. Prosequi jam libet, quibus ipsi rationibus, quæ dicuntur contra, refellant; & quæ intendunt, confirment; ne quidquam eorum neglexisse videar, unde lucis multum, & claritatis huic doctrinæ adhiberi possit.

Principiò vulgatissima sunt, quæ ex liberi arbitrii naturà petuntur argumenta ad traditæ disciplinæ institutionem infirmandam. Illa, ajunt, motio humani motum animi præcellit vi suà, ex contrariis, ad quos animus est paratus, motibus, summà unum necessitate sibi vendicat, alterumque facit prorsus impossibilem, ex Dei cuncta moventis arbitratu pendet, & nullo sub hominis potestate pacto ponitur: quid igitur, in exquirendis consiliis, rebusque agendis fiat hominibus integrum; si dura necessitas figit semper
adamantinos eorum verticibus clavos? Certè non secùs 22
mortis laqueis fatalibus impeditum mortalium caput
descripsit Poeta; atque ex hac doctrinà obstrictam nos
arbitrii facultatem tenemus.

At duplex est Thomistis tùm necessitatis, tùm impossibilitatis notio diligenter admodum discernenda; ne

Et primò antecedentem volendi, nolendive facultatem necessitate consequente offendi non posse.

ne quæ re quidem verâ inter se valdè discrepant, sub eâdem verborum usurpatione perperam confundantur. Est, inquiunt, necessitas, & impossibilitas *antecedens*, est *consequens*; est, quæ vulgò dicitur, *sensus divisi*, est *sensus compositi*, *est denique*, *quæ cum libertate minimè convenit*, est *quæ convenit*. Prior ad causam, causæ principia, & promptam efficiendi facultatem; posterior ad effectum suapte naturâ pertinet. Illa, ut loquuntur scholæ, intra actus primi fines, hæc extra ponitur; & vel ipse est actus secundus, vel actus secundi adjuncta comes. Exemplo res fiet manifesta. Necesse omninò est, quiescat, qui sedet immotus; nihilque illi impossibilius, quàm quiescentem moveri: at quoniam utrumque fit ex ipsa quietis, effectusque præstiti naturâ; integrum cuique relinquitur benevalenti, seu quiescere, seu moveri. Contra necesse quidem est, ut fax præluceat, & ne tenebras fax dissipet, est planè impossibile: neutrum tamen sub novâ quadam, & liberâ facis potestate positum esse intelligitur, ut scilicet, vel lucem, vel tenebras afferat; quia utrumque non ad emissæ lucis, sed ad facis ipsius naturam pertinet, ad lumen adhibendum factam. Porrò divina, atque antecellens movendi virtus, quam ipsâ non sit facultas, visque effectiva causarum quibus imprimitur, quamq; earumdem causarum motum, pro suâ præmovendi indole alat, agitetque satis, superque demonstratum esse putant. Quidquid igitur de impossibili quiescentis motu, quidquid de necessario facis lumine, traditum nuper exemplo est, hoc de integro hominum arbitrio sub Dei moventis imperium posito, hoc de adamantinis fati laqueis mortales devincientibus dictum volunt. Nam, inquiunt, si de liberâ capessendi consilii facultate quæstio rectè institui velit; consideranda quidem voluntas est, cum ad eligendum inter contraria parata esse intelligitur, non autem cum reipsâ eligit. Quippè cum eligit, certa sunt omnia, ac definita, perfecta jam est res, atq; actio ab ipso facientis dominatu

ve-

veluti emancipata, sub liberam ejusdem potestatem non cadit. Verùm determinatio divina, in quâ disputatur, tunc primùm suâ valet efficaciâ, cùm Res quæ itâ, vel secùs poterat contingere, certâ quâdam, definitâque ratione ita, nec secùs contingit. Nihil in illâ virium rem efficientium, nihil potestatis, undè cum determinandi facultate confundenda sit; sed liberæ ipsius, humanæque determinationis est spiritus quidam, quasi anima, & prima virtus?

Idcircò ratiocinationem ipsi modò institutam non intra, sed extra Controversiæ, de quâ agitur, terminos vagari contendunt: docentque disertè, si in considerationem veniat animus perfectè potens, & ad contraria paratissimus; nihil in eo videri, quod non ad utramque partem accommodari perindè possit; nihil, quo ad utrumlibet sibi sufficiat, desiderari; nihil tandem agnosci, in quo locum non habeant deliberationes, consilia, suasiones, atque pro factorum diversitate, reprehensiones, vel laudes, proemia, vel animadversiones. Atque hinc ulteriùs inferunt, si hùc unicè spectet quæstio, nec voluntatem attendamus deliberatam, sed tantummodò ad deliberandum paratam; ratione illâ propositum non effici. Cum verò determinationem ipsam adesse intelligimus: tunc tandem eò redire quæstionem, ubi nullus sit liberæ facultatis quærendæ locus. Nam voluntas sub determinatione, quâ movetur, ut velit, nullâ fieri ratione posse, ut non velit, concedimus, inquiunt: sed non secùs, atque fateantur omnes, necesse est, nolle non posse eum, à quo jacta veluti est alea, ut velit.

Alterum Argumentum sic habet: Tria sunt Catholicis omnibus ex Ecclesiæ consensu deliberata, atque constituta. Primum. Honestè, sanctè, aptèque ad finem consequendum vivere posse neminem, si suæ naturæ viribus solùm valeat. Secundum, quæ facultatem hanc benè vivendi faciunt, dona esse post Adæ

lapsum

lapsum Dei perditorum Hominum ultrò miserentis. Tertium, dona eadem Adultis certè viris præstò interdum esse in tempore, quibus quisque salutem obtineat, modò velit: nihilque est Doctoribus de hac re quærentibus (Lutherum, Calvinum, & Jansenium excipe) captu impossibilius, nihil absurdius dictu, quàm Deum Optimum, ac sapientissimum, quem summâ providentiâ humanæ vitæ consulere, providere, ac prospicere intelligimus, plerisque mortalium necessaria ad finem consequendum minimè comparasse. At hæc Adversarii Thomistarum videre se negant, quomodo constare possint in eorum sententiâ; ex quâ non obscurè conficitur, ut putant, per Deum maximè stare, tùm, ne benè, honestèque vivant, qui aliquid peccant, tùm, ne propè infinitus reproborum hominum numerus salute potiatur. Horum ratiocinatio sic habet: Ex solâ antecedentis hujus propositionis veritate; nimirum, quotquot malè agunt, & quotquot sunt Reprobi, determinationem illam minimè acceperunt, quâ benè agerent, & quâ anteactæ vitæ pœniteret eos sub finem; ratione conficitur ineluctabili veritas hæc altera consequens; Igitur omnes ad unum interibunt, vitamque obtinebit nemo. Conjunctæ sunt ambæ inter se, modisque, quod caput est, si Thomistarum placita attendamus, planè necessariis; sed per Deum maximè stetit, ne illam determinationem acciperent. Ergò per Deum maximè stetit, ne benè agerent, ne salutem obtinerent.

23 Deinde sufficientes adesse vires, licet desit motio necessaria, quæ quidem vires non facit.

Sed Thomistæ huic argumento facilè occurri existimant, attentâ diligenter illa divinorum auxiliorum divisione, quam plurimi facere schola consuevit; ut Catholica doctrina extremos inter Pelagii, & Calvini errores media incederet. Sanè alia sunt, quæ bonam ipsam voluntatem inspirant, alia, quæ plenam comparant benè volendi facultatem: Hæc præstant, ut possimus cum virtute agere; illa, ut cum virtute præte-

rea reipsâ agamus; Utraque impertitur pro suâ Deus clementia & arbitratu, utraq; meræ sunt Beneficentiæ dona; sed quàm sunt diversa, & facilè sejungenda hæc duo, *posse* nimirum, & *velle*; tam inter diversa illa auxiliorum genera discernere, cuique liceat: quorum alterum a scholasticis efficax, alterum sufficiens appellatur. Prius, cum impertiat *velle*; bonum sui usum infallibili sibi ratione vendicat: posterius, cum planè quidem *posse* concedat, nec tamen *velle*, bonum sui usum, quem obtinere certè potest, reipsâ obtinebit nunquam. His præsuppositis, quæ omnibus Catholicorum scholis communia sunt; respondent Thomistæ argumento nuper facto: ex motione in bonum partem inclinante solam auxiliis accedere efficaciam, eâdemque absente, nihil divinis auxiliis sufficientiæ demi posse. Atque hinc inferunt, totam illam eorum argumentationem miserrimo hoc enthimemate contineri: Non omnibus Deus largitur auxilia efficacia in tempore: Ergo nec sufficientia largitur; sive Deus multis non donat *velle*: ergo nec *posse*. Addunt, nullam esse Theologorum in hac re sententiam, quam contra non idipsum urgeri possit: en syllogismum, inquiunt, quo nec ovum ovo similius. Propositionem hanc, quoquot sunt Reprobi, auxilia non sunt sortiti efficacia, quibus diem feliciter obirent suum, consequitur rationibus planè necessariis hæc altera: Igitur eorum nemo Patriâ potietur; sed per Deum unicè stetit, ne auxilia illa sortirentur efficacia, quod Catholicis omnibus in confesso est; ergo per Deum unicè stetit, ne Patriâ potirentur.

Atque cum instantes contra Adversarii opponunt (quod Jansenistæ olim ipsi Thomistis, antequam eorum personam induerent, oggerere non desinebant) Quæ vos auxilia appellatis sufficientia, reipsâ non sufficiunt. Quis enim capere unquam possit, acceptas divinitùs vires tùm quoque sibi ad agendum sufficere, cum quod

M maxi-

maximè necessarium est ad agendum, & quo sinè agendum est nunquam, divino imperio negatum est? sufficit sanè sibi, ut quidquam perficiat, cui præstò sunt, quæ ad perficiendum requiruntur; & si cui quid eorum desit, is sibi quidem profectò ad illud efficiendum non sufficit, ut sensus communis docet. Ad hæc iterum reponunt Thomistæ, ista meritò sibi obtrudi potuisse, atque etiam firmiter, & sapienter; si fortè, quod requiri, quod desiderari, quod ad agendum necessarium esse dicitur, id ad vires, principia, & benè agendi facultatem, non ad ipsum bonum actum suaptè naturâ pertineret. Cœterum, ut sæpè antea notatum, longè id secùs esse: sufficere enim, plenèque sufficere sibi potestatem, suis dumtaxat viribus adornatam; tametsi illi desint ea necessaria ad agendum, quæ ipsum agere comitantur, seu quæ cum actione, quod idem est, sunt conjuncta. Dicunt ergò, illam ratiocinandi methodum, quâ impugnantur ab Adversariis, ut invicta est, si sermo sit de iis, quibus virtus agendi constituitur, ita esse omnium ineptissimam, cum tota quæstio sit de ipso actu, per quem eadem virtus exercetur. Num enim sic rectè colligi? Ut actio reipsa consistat, nihil est, aut fingi magis necessarium potest, quàm ipsa actio: Igitur, si potestati plenè sufficienti actio ipsa non insit, ad actionem potestas eadem sibi minimè sufficit. Quàm pueriliter disputarentur ista, latere neminem: quamobrem, quemadmodum, ut actio reipsa ponatur, necesse est, eam esse; quin hoc idem necesse sit, ut detur plena, atque integra potestas eam ponendi: ita pari fermè pacto dari omnimodam necessitatem assertæ motionis, ut bona voluntas reipsa sit; nullam verò, ut ejus eliciendæ potestas plena, atque integra habeatur. Etenim principia efficientia tùm plenè, cumulatèque consistere, cum nihil eorum deest, quæ ad *Posse* requiruntur: quæ verò requiruntur, ut effectus bonus sit impræsens, seu (sejungi enim nequeunt

queunt ista duo) ut *benè velle* reipsa sit, nec sit *velle pravè*, illa ad sufficientem sibi facultatem non pertinere. Quòd si fortè pertinere fingerentur; tunc sinè dubio reipsa futurum, ut actionis, vel ponendæ, cum adessent, vel omittendæ, cum abessent, necessitatem omninò antecedentem inducerent, proindeque offenderent utriusque libertatem.

24 Postremò determinationem præcipuè ejus naturæ, quâ quisque acceptâ, malè agit, maximâ Thomistarum Adversarii in difficultate positam esse affirmant. Inde enim fieret, scelerum omnium, quæ Hominum vitio perficiuntur, Deum fore Authorem deferendum. Illa, ajunt, determinationis hujus affertur præcipua causa; quòd secus hominum voluntas ad plura, & contraria comparata, nihil deliberatè se ipsâ unquam aggrederetur; quòdque deliberationem omnem, quæ ad mores, & virtutem pertinet, à divino in subjectos, indeliberatosque animos dominatu proficisci oporteat. Igitur (concludunt) si quando omnem deliberandi voluntatem Deus cohiberet, nullamque ejusmodi determinationem per animos infunderet; ab omni etiam voluntate, consilioque capessèndo necessariò homines abstinerent: quo evidentiùs confici nihil potest. Porrò omnis illa volendi, nolendive intermissio, non hominibus quidem ipsis, necessariâ tunc ratione otiosis, sed Deo esset tribuenda, nullo animos motu ut sanè posset, afficere volenti; Atque hoc quoque liquet, neque secùs rem se habituram, Thomistæ fatentur ultrò. Quæ cum ita sint; Ecce, inquiunt, ratiocinationem, brevem quidem illam, sed efficacem; Si nullam Deus determinationem volendi, nolendive in hominis cujuspiam animum immittat; nihil illius animus deliberet oportet; Deoque tribuitur, quòd nihil omninò deliberet. Igitur si nullam Deus determinationem præbeat, quâ ejusdem voluntas deliberet in bonam partem, ut sacro exempli causâ intersit diebus constitutis;

Tandem posse divina motione induci, quidquid in voluntate naturæ est, quin illud ipsum, quod vitii est, inducatur.

facio oportet non intersit, Deoque tribuendum erit, quod Sacro ille non intersit. Atque adeò Deus, si determinatione, quâ benè homo ille deliberet, retentâ, determinationem præterea contrariam eidem impertiat, quâ feratur in malum, ideft, ut Sacro intereffe nolit, multò magis tribuendum, inquiunt, Deo erit, quòd idem Sacro non interfit. An, cur ille mandatum non perficiat, tunc Deus fit caufa, cum nullam, feu perficiendi, feu contemnendi mandati determinationem largitur: Cum verò perficiendi quidem nullam, contemnendi tamen omnem præbet, tunc mandati minimè perfecti non fit caufa?

Ad hæc Thomiftæ, ut refpondeant, notant voluntatem deliberatè quidquam peccantem fub duplicem confiderationem cadere: quarum altera ad naturæ, altera ad morum quæftionem pertinet. Si phyficam rei naturam fpectes; motus eft, ajunt, animi ratione, atque arbitrio utentis, qui, quod maximè libitum eft, fui Dominus, plenèque potens præftat: fi verò mores, in quibus unicè vitium, ac virtus ponitur; vitiofus eft animi motus à certa honeftatis normâ aberrans: Jam verò fecundùm illam priorem rationem ad Deum referatur necefse eft, ut Principem motus Authorem, & caufam; cum motus omninò omnes, qui caufis pendent creatis, & fubjectis, divina movens vis antecellat: at fecundùm alteram, nonnifi in ipfum humani animi vitium, tanquam in fui Fontem, & caput redit, cujus maximè eft deficere, atque melioribus perfpectis, probatifque fequi, deteriora.

Hæc illi: nec tamen eos latet, divifionem iftam magnâ in difficultate effe pofitam; propterea quòd duo illa adjuncta in actu voluntatis funt inter fe tantâ ex neceffitate invicem nexa, ut nullâ vi, ne divina quidem, fejungi poffint; cum, qui motus eft humani animi liber, ac naturalis, ille idem fit à rectâ difcedens ratione, & honeftate. Quamobrem utrumque Deo Authori

thori necesse est tribuatur ; si alterum Deo Authori tribui compertum est.

25

Comparationibus multis, atque exemplis cōfirmari eadem, atque etiam declarari.

Verùm ad hujus difficultatis nodum dilucidè enucleandum, exempla & comparationes adhibere solent. Cum, inquiunt, in magno vitæ discrimine Mercator positus, merces projicit in iratum mare, quam deinde pauperiem patitur, illa non ipsiusmet culpæ vertitur sed calamitati exortæ tempestatis; talem etsi suis ipse manibus ultrò jacturam fecerit, quam fuit pauperies necessàriò consecuta. In hominum etiam conceptu, & satu sejungi nequeunt ista duo; humanum scilicet fœtum animâ donari immortali, conceptumque ita fœtum labe infici primæ Originis : at cum Deus neque sit contractæ labis causa, neque esse possit; est nihilominùs causa creatæ, inspiratæque in fœtum animæ immortalis. Simili quoque ratione, divinæ voluntatis decreto fit, ut pœnas luant impii sempiternas, ut autem ex atrocissimo pœnarum sensu odia in Deum exerceant sempiterna, nullo divinæ voluntatis decreto fieri intelligitur : Tandem Caiphæ sententia, quâ Christum Dominum morte mulctandum decrevit, si ad Caiphæ consilium, impia ; si ad divini spiritus directionem referatur, eadem oraculum fuit; in eam verò divinus illabens spiritus oraculum fecit, Caiphæ impietatem non fecit. Quamobrem concludunt contingere facilè posse, ut una aliqua res, vel duobus afficiatur adjunctis, vel duos præstare effectus valeat inter se conjunctissimos, quorum tamen alterum quis amet, alterum oderit. Quisquis verò de re illâ decernit, quâ parte amat, deliberationis Authorem esse ; quâ parte odit, Authorem non esse: ut mercium jactura inter alia exempla probat, quâ deliberatâ, non suæ Mercator pauperiei, quam horret, sed suæ incolumitatis causa esse dicitur, cujus satagit. Atque hæc tandem clarum facere, quâ possit ratione Deus in motu animi vitiosi, vitæ motum amare, vitium odisse: de illo deliberatè de-

decernere, hoc autem hominis, in cujus potestate peccare est, vitio permittere; proindeque primi, nec alterius esse princeps causa.

Hæc ipsi. An verò omnia ad germanam eorum mentem fide, ac diligentiâ, quam potui maximâ, retulerim; Thomistarum Doctorum arbitrium esse volo. Certè vigent, florentque scholæ hujus per Europam commendatissimæ Academiæ; & quæ mihi certa, atque explorata sunt, tot sapientissimorum Hominum judicia in suspicionis crimen vocari pro hâc præcipuè causâ non poterunt.

Quòd, si qui curiosè nimis à me petant, an, quæ retuli, meæ, ut par est, Doctrinæ amantissimus probem ex animo? reponam sincerè, non hoc agi in præsentiâ; quin, ut nullo super his disceptetur tempore, quod initiò monui, severè nobis scribentibus interdictum. Duo mihi, ut propositum assequar, efficienda intellexi: primùm, ut Thomisticæ, ac Jansenianæ Theologiæ præcepta, quàm clarissimè possem, explanarem: alterum, ut ostenderem; tam in eandem, utraque, sententiam non recidere, ut veriùs disertis Thomistarum effatis ipsa hujus novæ hæresis fundamenta subruantur. Effectum illud est, nisi fallor; hoc itaque reliquum est, ut efficiam: nihil præterea.

LIBER

LIBER TERTIUS.

Proponuntur præcipua utriusque Doctrinæ Capita, ut quàm maximè differunt inter se.

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS. LIBRI TERTII.

IN *his Scholæ ambæ Capitibus dissentiunt.* 1. Thomistæ. *Ex divino in hominum animos dominatu*. Jansenistæ. *Ex primævâ hominum labe pendet hæc quæstio.* 2. T. *Naturæ omnis eadem*; J. *Alia integræ, alia lapsæ est ratio*. 3. T. *Integrum utrique arbitrium fuit*; J. *Primæ dumtaxat*. 4. T. *Neutra solâ æquilibrium auxiliorum ope, quidquam præstitit*; J. *Prima præstitit*. 5. T. *Idem utrique adfuit auxiliorum genus*; J. *Adfuit contrarium*. 6. T. *Par in utramque Dei dominatus*: J. *Planè dispar*. 7. T. *Idem utriusq; erga Deum famulatus*: J. *etiam dispar*. 8. *Deliberatio omnis divinum expectat motum*: J. *non expectat, si prava sit*. 9. T. *Sibi relicta voluntas stupeat*; J. *Agat; sed malè*. 10. T. *Voluntas, quippè æquilibris, inclinatione*; J. *Quippè peccatis serviens, libertate indiget*. 11. T. *Affectus arbitrio quaqua versum divinitùs movendo parent*: J. *Arbitrii imperium penes affectus est*. 12. T. *Quisnam ex effectibus sit vahementior*;

tior; nihil refert: J. *Refert quàm maximè*. 13. T. *Est ratio sui domina*: J. *Delectationi servit*. 14. T. *Deus motionem intuens, quid futurum sit prospicit*: J. *Prospicit in amoris infusâ vi*. 15. T. *Quæ fit motio, rationem afficit*: J. *quæ fit suavitas, affectuum sedem*. 16. T. *Amoris divini sensus, & motio efficax, res sunt duæ* J. *Sensus iste efficax est, si suavior*. 17. T. *Gratiæ facit efficaciam motio adjuncta*: J. *facit intimum ejusdem pondus*. 18. T. *Ex motione effectum judicet*: J. *Judicet ex delectationis momento*. 19. T. *Inter divinæ suasionis efficientiam, & Gratiæ efficaciam multùm interest discriminis*: J. *Nihil*. 20. T. *Gratia, licet æquilibris, plenè potest*; J. *Non potest, nisi præponderet*. 20. T. *Gratia inefficax verè est sufficiens*: J. *Tam est sufficiens, quàm quæ non sufficit*. 22. T. *Adest* Posse, *cum deest* velle: J. *Vel utrumque, vel neutrum deest* 23. T. *Utrumque est Dei donum pro omni Naturæ statu*. J. *Pro Corruptæ dumtaxat*. 24. T. *Gratuitum semper fuit Prædestinationis negotium*: J. *Nonnisi post Adæ lapsum*. 25. T. *Thomistarum à Societatis schola dissentit multùm in causâ prædestinationis Angelorum*: J. *Ab eâdem si auxiliorum superabilium naturam spectes Jansenius dissentit nihil*. 26. *Adamo innocente eadem utrique scholæ lis de necessitate gratiæ per se efficacis*. J. *Jesuitis, & Jansenio nulla*. 27. T. *Nulla Catholicis Academiis in Principiorum explicatione controversia*: J. *Hic enim verò est omnis*. 28. T. *Ipsum* velle, *& deliberatio in dubium vocatur*. J. *Vocatur* Posse, *& deliberandi facultas*. 29. T. *Æquilibre cur deliberet? quæritur*: J. *Quæritur, cur æquilibrium interierit?* 30. T. *Eveniat facilè, ut quis peccet, cui nihil necessarii luminis defit*: J *Eveniet pro hoc statu nunquam*. 31. T. *Homines Charitate, atque divinorum auxiliorum accessione pares, Contraria motio discernit*: J. *Erunt quoque meritis iidem pares*. 32. T. *Æquilibris est facultas ad movendum facta*: J. *hâc quidem ex parte, suæ prævaricatores scholæ*.

læ: existunt Thomistæ. 33. T. Bonis, atque malis eadem facultas præstò est: J. Illis plena; His imperfecta. 34. T. Nihil unquam, nisi benè velle, Peccantibus defuit. J. Defuit, pro hoc tamen statu, posse. 35. T. Adest semper ex D. Thomâ Justis Gratia, quæ sufficiat, in tempore: J. Parisiis privata Dominicanorum factio sic sentit. 36. T. Compertissima est apud Catholicos divisio Gratiæ sufficientis, & efficacis: J. à Jesuitis primùm in scholas invecta est. 37. T. Qui peccat, vires habuit, quibus poterat non peccare: J. Qui peccat, vires sortiri potuit, quibus non peccaret. 38. T. Movet Deus in malefactis, quæ naturæ sunt, non quæ morum; Idcòque nullius est culpæ causa: J. Ex vitiatâ origine fit cupiditas, & necessitas interdum peccandi; hinc non culpas infert Deus, sed justas primævæ culpæ pœnas. 39. T. Moveri divinitus potest tertia quædam actio, quæ neque utilis ad salutem sit, neque vitiosa: J. Nihil actione hâc ex Augustino impossibilius. 40. T. De æquilibri suasionum, affectuumque infusorum vi, disceptandum Catholicis non est: J. Hic est proprius Massiliensium error. 41. T. Efficaciam infusi amoris inexpugnabilem Tridentina Synodus pro Calvinianâ habet: J. Habet Arausicana Synodus pro Catholicâ.

Post hactenus disputata parallelismum exhibere visum est, ut moroso illo cavillandi genere quæstionem hanc liberem; eaque ob oculos cuique ponam discrimina, ac tam diligenter notata, quæ sponte suâ cognosci possint.

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
1	QUæ Thomistæ hâc de re quærunt, ad metaphysicas humanæ, divinæq; naturæ considerationes facilè revocantur; omnisque difficultas ponitur in conciliandâ liberâ Hominum voluntate cum supremo Summi Dei imperio omnia gubernantis.	QUæ Jansenistæ hìc disputant, Theologici sunt Instituti: liberam Angelorum, atque Adæ ante lapsum voluntatem nullâ in quæstione ponendam censent. Quânam ratione post Adæ lapsum vitiatam nostrûm omnium naturam Deus moderetur; Hoc enim verò quærendum instituunt.	1
2	Nihil est pro quolibet naturæ statu discriminis ex eâ divinæ Providentiæ parte, quâ libera animorum consilia regit dominans in nobis Deus.	Diversis sanè modis, planèque contrariis post Adæ lapsum humanis animis Deum consulere oportuit; atque vel Adæ ipsi ante lapsum, vel Angelis prospexerat	2
3	Perinde liberâ, perindeque solutâ, si modò spectes libertatem arbitrii, benè, ac malè merendi facultate, pro utroque statu, donatos fuisse Homines compertum est.	Erat quidem soluta, atque expedita humanæ libertatis ratio, ad malè, vel benè merendum, pro statu naturæ integræ; sed non ita sibi constat jam nunc pro statu naturæ vitiatæ.	3
4	Utraque inter utramque partem Natura posita, nonnisi Deo determinante, certi	Eligeret quidem alterutram deliberationis partem Natura integra, seu ex se se ipsa	4

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
	ti quidpiam eligeret.	ipsa consilii plenè Domina.	
5	Par est etiam nunc divinorum auxiliorum ratio, quatenus pertinent ad movendam voluntatem; ut scilicet nostræ sit potestatis, iisdem uti, vel non uti.	Illius unicè fuere status propissima id genus auxilia, quibus voluntas uti potest, vel non uti: nunc ad benè agendum alio illa indiget genere auxiliorum, quæ animum in bonam partem certò inducant.	5
6	Unus idemque pro utroque statu fuit divinæ in humanam voluntatis dominatus, cui nihil addi, nihil demi necessum est.	Pro statu priori solam volendi facultatem Deus comparabat, quâ utendi, vel non utendi voluntas arbitrium haberet.	6
7	Idem etiam est utrobiq; humanæ voluntatis erga divinam famulatus.	At in hoc præsenti statu naturæ lapsæ necessariò vitiis suis subjicitur, nisi à Deo liberetur, cujus dono bonam voluntatem certissimè perficiat.	7
8	Pro quâvis Naturæ conditione, seu benè agat quisque, seu malè, seu minùs, magisve malè; determinatione semper primæ Causæ voluntas subjecta indiget.	Post illatum Originis morbum, cupiditates inter contrarias, voluntas hanc, illamve ex se se fortasse sequi potest, valentiore etiam rejectâ; at bonam inter, & pravam delectationem nulla illi est deligendi facultas: suaviore necesse est trahatur.	8

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
9	Sibi relicta voluntas, omnique divinitùs inhibitâ præmotione, nihil omninò æternùm ageret.	Sibi relicta voluntas, ageret quidem; nec tamen ageret, nisi malè.	9
10	Voluntas, quippè quæ indifferenter suis absoluta esse principiis intelligitur, determinatione opus habet divinâ, ad certum opus perficiendum.	Nam voluntati satis superque virium est vitio suo, ad peccandum; ut verò miserâ voluptatum servitute liberetur, & virtutem colat, opus habet determinatione divinâ.	10
11	Si duo sint, quorum alter effervecat pravæ cujusdam cupiditatis æstu, alterum suavissimus Gratiæ cœlestis instinctus demulceat; neuter boni quidquam perficiet, aut mali; Si Deus, motione, quæ sui dominatus propria est, retentâ, antecellentem humanis motibus vim inhibeat: sed necessariò stupebit voluntas, cessabitque iners, atq; otiosa.	Ex duobus ita, ut dictum est, comparatis: Alteri benè, alteri malè, consultò quidem, ac deliberatè tantâ necessitate agendum est, quantam Deus afferre potuit decreto post Adæ lapsum ineluctabili; quo cautum fuit, ut integrâ Homines arbitrii facultate spoliati pellaciorem affectuum vim sequerentur; vel scilicet cœlestem, quam ipse infunderet Misericors, vel pravam, quam ex primæva culpâ justè paterentur.	11
12	Si contrariæ amorum vires hàc illhàc animum distrahant; an sint æquilibres, an	Actum jam est de isto humani animi dominatu: trahit sua quemque voluptas. Fe-	12

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
	an aliæ aliis præponderent, ad liberi consilii arbitrium nihil refert: voluntas rationis particeps ad eam accedet partem; quam divinâ antecellente vi, sui potens adamabit.	Felices! qui suavitatem amoris præponderantem cœlitùs sortiuntur.	
13	Est sui quisque consilii dominus; serviant necesse est excandescentes cupiditates; si melior hominis pars, divino, ut decet, famulata imperio, suo jure uti velit.	Servit cupiditatibus labe originis afflictus animus: hoc vult, quod allicit vehementiùs: utinam consilii imperium penes pellaciores animi motus non esset!	13
14	Ne Deus quidem ipse, quid homini deliberandum sit, certò inde intelligit, unde suavissimè ejus animum affectum videt: sed ex solâ decretæ motionis ratione comprehendit futura, quæ sub liberam arbitrii humani deliberationem cadunt.	Deus Princeps hominum animos moderatur, ut lubet, attentâ, atque adhibitâ suavitatis ope dulcioris: illius pondere, ac pellaciâ tùm videt, quid quisque velit, tùm decernit.	14
15	Divina motio, ad inducendum animum facta, partem afficit ipsius animi præstantiorem, quâ nempè, tùm ratione, tùm arbitrio pollet; quin judicii ipsius, & con-	Quæ vis ancipitem animum ad deliberandum movet, voluptas est vehementior; atque hæc ad eam humani animi partem pertinet, in qua est affectuum, & cu-	15

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
	& consilii, utpotè in hanc certam partem suscepti, est veluti virtus, & quasi forma.	& cupiditatum sedes.	
16	Motio divinitùs facta, cum ad virtutem inducit, divinis auxiliis addit efficaciam. Afficit quidem animam, quam afficiunt auxilia; sed res sunt duæ naturâ disjunctæ. Illa sivè menti lumen adhibeant, sivè amorem accendant, eadem sunt quædam vitæ actio; motio, quam loquimur, bruta est, atque inanimis.	Gratiæ efficaciam divinus quidam sensus suavitatis facit, cupiditatum illecebris potentior. Ipsi inest Gratiæ, atque adeò ipsa est Gratia; eòque ista efficacior est, quò ille est suavior.	16
17	Vel Cupiditatis, vel Gratiæ suavior vis ad rem non pertinet: Auxilia, quæ donantur in tempore sufficiunt: eadem ex determinatione adjunctâ fiunt efficacia: & nullus est possibilis cupiditatum fervor, qui ineluctabilem hanc efficaciam debilitet.	Contrariarum voluptatum acrior sensus vires Gratiæ metitur. sit Gratia efficax, ut lubet; eveniet facilè, ut eadem sit insufficiens; si prava cupiditas effervescat: contra, sit Gratia insufficiens, eadem fiet efficax, si illa defervescat.	17
18	Divinus ille impetus in bonam partem, vel incomprehensibilem Gratiæ atomum	Si æquilibrem ad contraria consilia voluntatem, castigato veluti ancipitis libræ exa-	18

THOMISTÆ.

mum faciet efficacem: Idem si desit, vel immensum Gratiæ pondus iners est, atque omnis expers efficaciæ.

19 Hæc illa est efficacia, de quâ Theologi tam multa disputant: neque verò confundenda est, cum ipsius Gratiæ efficiente vi, quæ dici etiam latinè potest efficacia. Illa cum bono Gratiæ effectu est infallibiliter conjuncta; hæc tametsi voluntatem allicit, non tamen impedit, nè ipsâ etiam præsente, obsistat: illa ad perfectam facultatem movendam tantummodo; hæc tantummodo ad facultatem perficiendam valet: illa est bonæ deliberationis, bonique consilii comes; hæc boni operis, atque effectus est principium, semen, & vera causa: tandem semper ista, illa nunquam peccantibus præstò est.

Per-

JANSENISTÆ.

examine, suspendas; & in alterâ lance pravos cupiditatis sensus, in alterâ Gratiæ dona ponas; quænam præponderet, ex sensu colliges dulciore, atque ut suavitatem, ita efficaciam certo judicio definies.

Nullum inter, seu efficiendi vim, seu efficaciam discrimen esse, aut fingi potest. Quantum suavitate præstat Gratia, tantundem, tùm efficiendi vi, tùm efficaciâ præstat: si pravâ cupiditate sit suavior, ut bonum effectum suo certissimè inducit pondere, ita ex se se ipsâ, & suapte naturâ est efficax. Nulla huic sub iisdem adjunctis voluntas obluctatur; atque eâdem necesse est careat, quisquis peccat. 19

Gra-

	THOMISTÆ:	JANSENISTÆ.	
20	Perfectam, atque cumulatam boni operis perficiendi vim habet Gratia, quam Deus nobis indigentibus confert in tempore, & quâ sensuum obsistimus illecebris, cum volumus.	Gratia nihil boni potest efficere, nisi in librâ, quâ ejus suavitas cum contrariâ appenditur, lancem ipsa deprimat, & præpolleat.	20
21	Quando Gratiæ adjuncta deest efficacia, nihil tunc virium illi deest ad benè movendum, agendumque; & est Gratia, sinè divino impetu efficaciam adjungente, abundè sufficiens.	Quam fieri non potest in ponderibus, quæ ejusdem libræ lancibus appenduntur, ut majus à minori tollatur; tam nequit voluntas meliora sequi, cum Gratiæ expers est efficacis.	21
22	Efficacia Gratiæ interiori accedens voluntati liberæ comparat quidem *velle*, nec tamen *posse*; *posse* enim verè, proprièque comparat sola Gratia interior, quæ sit plenè sufficiens.	Pro feliciori naturæ statu fuisse ejusmodi Gratia censenda est, quæ *posse*, nec *velle* impertiverit; at verò pro statu, quo nunc sumus Gratia omnis, vel utrumque impertit, vel neutrum.	22
23	Quemadmodum Hominibus à servitute redemptis concessum divino Numine esse constat, non *posse* modò, sed etiam *velle* salutem promereri. Ita Angelis quoque bonis ex Dei solius beneficio utrumque obtigit.	Potuisse quidem salutem obtinere boni tantummodo Angeli Deo acceptum referant: simul autem *posse*, & *velle*, nonnisi perditum hominum genus propriissimè debet Redemptori.	23

Gra-

Pro

THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.
24 Gratuitum omninò fuerit, necesse est, prædestinationis negotium; etiamsi omnem, utquàm maximè patet, naturam rationis participem, sivè Angelorum, sivè Hominum, pro quacumque conditione, & qualicumque etiam statu complectatur.	Pro deteriori naturæ conditione, delectus ille est Dei miserentis donum, merita omnia antecellens; at pro sancta, atque innocente Angelorum naturâ eorumdem merita fuit consecutum. 24
25 Pro ea Angelorum conditione, pro quâ libertas arbitrii, merendique potestas divinitùs facta ipsis fuit; eadem Thomistis lis, & caussa, contra Doctrinam Societatis.	In auxiliorum, pro modò dicta Angelorum conditione, ex se minimè efficacium, Janseniani à Societatis Doctoribus ne minimum quidem discrepant: eademque est utrique scholæ mens de superabilis Gratiæ pro Angelorum meritis providentiâ; quantum scilicet pertinet ad Gratiæ dona nullam inducentia necessitatem. 25
26 Si ab Adamo in colendæ erga Deum pietatis consilio perseveratum fuisset: iisdem in disceptationibus Thomistæ, ac Jesuitæ versarentur.	Si id accidisset; inter Jansenii, & Societatis sententiam de Gratiæ efficacia; non ea, quæ modò est, controversia versaretur: convenirent utrique in multis. 26
D.Tho-	O Cum

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
27	D. Thomæ, Scoti, Molinæ, cœterisque inter Catholicas scholis nihil est controversiæ; si auxilia superabilia spectentur ex se-se; si sejungantur à divina, tùm Sapientiâ, tùm Voluntate, quâ Deus de futuris rerùm eventibus cognoscit, ac deliberat; si tandem sub eam considerationem cadant, sub qua facultatem merendi præbent. Ad unum omnes consentiunt indifferens suapte naturâ esse illud auxiliorum genus, & æquilibre; modò efficaciam, modò inefficaciam eadem sortiri posse.	Cum illis Deus auxiliis voluntatem comparatam videt, quæ naturæ vitiatæ sunt consentanea, cum alliciendi vim ponderat, qua præpollent; tùm eorum efficaciam certissimo æstimat judicio, ac de infallibili boni operis eventu intelligit, & decernit.	27
28	Omnis inter Thomistas, aliosque Catholicos Doctores quæstio in illud recidit, utrùm deliberatio, quâ hanc potius, quàm alteram partem in rebus præsertim supernaturalibus volentes sequimur; utrùm, inquam, prævio, quem vocant, Dei concursui, ut ipsi volunt; an veriùs humanæ voluntati divina Gratiâ adjutæ, con-	Nullus disceptationi huic inter Jansenianam, & contrarias Academias locus esse potest; Neque enim de effectibus, qua fiant ratione, disputare attinet; quando de ipsa effectuum origine, quæ quidem quæstio ordine prior est, dissentiunt ut quàm maximè inter se: ac tamdiu in eâdem ab utrisq; disceptabitur, quamdiu catho-	28

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
	concurſumq;ad utraque paratiſſimum determinanti, ut Molinæ fert ſententia; an æquis utrique rationibus ſit attribuenda, ut vulgò contendunt Scotiſtæ.	tholicas inter ſcholas, hæreticamque Sectam non conveniet: Janſenianâ victricem ex ſe ſe, ſuoque ex pondere Gratiam ſtatuente; Catholicis verò aliis, ut conſtat, omnia alia.	
29	Quibuſnam principiis facultas merendi polleat, Thomiſtæ, aliique Catholici, non diſſentiunt; ſed quæ ſit illa vis, quâ facultas ſinè dubio æquilibris in unam potius, quam in alteram partem inclinetur; hoc quærunt, & diſceptant.	Dubitandum minimè eſt, quin deliberatio ſuaviorem voluptatem pro hoc hominum ſtatu certiſſimè conſequatur: omniſque diſſertatio inſtituenda eſt de utriuſque Gratiæ diſcrimine, tùm ejus, quâ naturæ integræ ſubventum fuit, tùm ejus, quæ acciſo jam, perditoque hominum generi vires præbet.	29
30	Tametſi bona motio deſit juſto peccanti; habet is nihilominus in tempore, quantum infuſi luminis, & ſuaſionis ex Dei parte requiritur, ut ne peccet.	Debilioribus Dei donis laborat, quisquis deficit: & ne deficeret, neceſſe prorſùs erat, ut infirmas cœleſtis amoris vires Deus confirmaret.	30
31	Etiamſi aliqui duo ſint pari erga Deum charitate affecti, pariaque illuſtrationum, & inſpirationum dona conſecuti; tamen alter benè	Quid hàc deridicula motione opus? Pro feliciori naturæ ſtatu voluntas integro gaudens arbitrio poterat ſe vertere quo vellet: pro	31

THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.
benè, alter malè aget, si contrarias inter se motiones fortiantur, quæ alterum ad alteram sequendam partem, suâ quæque ratione, re ipsa inducant.	pro hac tamen conditione si ambo fingantur esse affectibus pares, cæterisque adjunctis ad affectuum vim facientibus; ambos oportet pari cum virtute agere, ambos paria sibi dona demereri.
32 Exinde est, ut facultatem benè, vel malè merendi principiis Thomistæ construant æquilibribus, plenè ad utrumque comparatis, à quibus motio omnis, certam sibi actionem vendicans, procul abest.	Atque hæc quidem illa est causa, cur Dominicani Patres, novi generis Gratiam adoptantes, illam abjecisse (Wendrochii verba sunt) visi fuerint, quæ eorum tutelæ erat concredita, quam nullus à mundi primordio abjecit, quam Patriarchæ speraverunt, prædixerunt Prophetæ, attulit Christus, prædicavit Paulus, illustravit Augustinus; & a D. Thoma transmissam idem Ordo propugnavit. Nunc interritos, Jansenio Duce, Augustini discipulos exorti par est, qui seculi vinculis expediti uni Deo serviant. Potuit Gratia Dominicanis Defensoribus carere, Defensoribus carere non potuit. 32
Fa-	Gra-

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
33	Facultas plena, ac perfecta agendi benè, tùm malè, tùm benè eâ utentibus, est communis.	Gratia nullum aliud ad agendum auxilium requirens, ita vires agendi complexa omnes, ut nihil desit, & quæ sola sufficiens Jansenistis dicitur; eadem oportet sit efficax, nec nisi benè eâ utentibus præstò est.	33
34	Utrique perindè agere tùm benè, tùm malè possunt; & si alter benè, alter malè re ipsa agit; non agendi quidem facultas sufficiens, sed motio, & conjuncta actio discernit inter utrosque pro quâvis naturæ conditione, ac statu.	Si quæratur, an in statu naturæ lapsæ detur omnibus Gratia sufficiens ad salutem consequendam? respondet Augustinus, & qui ab eo sunt, illam peccato primi hominis factam esse massam perditionis; proindeque non omnibus, sed iis tantum Gratiam, & facultatem sufficientem ad salutem obtinendam adesse, quibus Deus illam singulari benignitate concesserit.	34
35	Planè ex hac parte cum Doctoribus Societatis reliquisque Catholicis, tùm verbo Thomistæ conveniunt, tùm sententiâ; nimirùm Gratiam verè sufficientem adultis peccantibus præsertim, si justi antea sint	Non Dominicani universi, quorum maxima pars hnic sociorum suorum ignaviæ succensuit, sed tantum privata quædam è Parisiensi familia factio sufficientem Gratiam omnibus concessam novit, atque ad delendam D Tho-	35

	THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.	
	sint, adesse semper in tempore. Desiderari quidem motionem in bonam partem inducentem, sed ad benè agendi facultatem hanc non pertinere; ut contrà ad eam verè pertinent donum infusi luminis, & amoris, quorum neutrum desideratur.	D. Thomæ Doctrinam cum Jesuitis conjuravit. Sic disertè Wendrochius in Dial.	
36	Thomistis quoque, aliisque Doctoribus communis est divisio Gratiæ sufficientis, & efficacis, hæreticis nostri temporis admodum invisa: deest efficax omnibus malè utentibus; nam efficaciam motio facit, usum comitans ejusdem Gratiæ; nulli verò deest Justo plenè sufficiens, quæ divinis constat donis facultatem perficientibus.	Reperitur quidem in Justis peccantibus, nec rarò, Gratia, quæ subministret virtutem quandam interiorem; quæ imperfectos actus excitet; quæ voluntatem alliciat ad bonum, nec tamen flectat; nisi adsit Gratiæ efficacioris instinctus. Hæc verò, quàm non plenè sufficiat, ipsa nominis notio præsefert.	36
37	Quisquis, præmotione ad bonum inducente effectum, consentit Gratiæ vocanti; potest quidem dissentire, & non potest: & quæ duo videntur in speciem pugnare inter se, re quidem verâ planè cohærent. Potest	Cum quis actiorem illum sentit pravæ cupiditatis æstum, cui infirmior, si qua est, Gratia oportet concedat; ita refragatur præceptis, & peccat, ut obsequi quidem possit, & non possit. Non possit, tùm quia	37

THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.
test enim; si potentiam antecedentem spectes; non potest: si consequentem: similitudo peti potest è re nata valdè familiaris, quæ lumen doctrinæ adhibeat clarissimum. Qui re ipsâ consentit; potest dissentire, nec potest: Potest; si antecedentis facultatis rationem habeas ad utrumque expeditæ: non potest; si consensum consideres consequentem, qui componi cum dissensu nequit. Ille autem Dei impulsus tam est suapte naturâ cum consensu conjunctus; ut quidquid de consensu ipso constat, integram relinquente dissentiendi facultatem, hoc de impulsu ad consensum inclinante dictum putes.	quia obsequium cum neglectu consequente nemo conjungat; tùm quia vires Gratiæ vividiores, quæ antecedentem vincendi, atq; obsequendi facultatem perficiunt, revera desiderantur. Possit verò nihilominùs obsequi pro hoc bono sensu, si nempè majus accedat Gratiæ viribus momentum; si defervescente impetu contrariæ cupiditatis, vis Gratiæ, quæ ab illâ retundebatur, superior evadat; demum (in eandem enim sententiam recidunt illa verba) Si antecedens obsequendi facultas, & ad obsequendum comparata, sit prorsùs alia, atque antea fuerat.
38 Cum Deus virtute suâ præsens adest illis quoque hominum factis, quæ sunt prava, nullius ipse est pravitatis Author; quod ab Adversariis objectari nostræ scholæ solet. Etenim respondemus Deum, utpote Principem motuum causam:	Si uberioribus Gratiæ donis largiendis pro sui Deus consilii arbitratu abstineat; necesse est, naturæ vitio corrupti homines ruant in pejora; neque aliâ ratione certum Ille perditorum hominum interitum obtinet. Quæ verò duo miserè 38

THOMISTÆ.

ſam, motum in iis reſpicere naturalem; turpitudinem, quà a rectâ decedunt ratione, non reſpicere. Communis quippe, compertaque omnibus eſſe debet Doctrina huic valdè ſimilis de divina illa vi, quâ certè coefficiente, cauſæ creatæ univerſæ, pro ſua quæque naturâ, effectus progignunt. Cum enim voluntas hominum vitioſa pravi quidquam efficit, & peccat; quid ab hac noſtra opinione abhorrentibus ſentiendum ſit, non ſatis videmus. Nihil ne tùm Deus efficiat? an quoquomodo efficiens peccet? Profectò, ſi nec divinè ſe homo, nec turpiter ſe Deus poteſt gerere; ad efficiendum quidem, non ad peccandum divina vis coeat neceſſe eſt; & quæ in malè factis ſunt naturæ, moveat Princeps cauſa; quæ verò ſunt morum, oderit, atque averſetur.

JANSENISTÆ.

ferè ſatis obtrudunt Auguſtini inimici, verbo, inquiunt, diluimus. Proh! quantus (Jeſuitæ exclamant primò) ex calamitoſiſſimâ hâc neceſſitate fit querelatum locus? Atque iterum. O' quàm nulla eſt pœnæ inflictæ æquitas, ubi peccandi neceſſitas adeſt! At ſubjicimus: gratuita Dei ſunt dona; quis audeat queri? Tùm, quæ admittuntur pejora, vel antecedentia conſequuntur malè facta, vel certè labem originis univerſæ: quis autem non peccati vitio tribuendum eſſe exiſtimet, quidquid è nequiſſimo peccati fonte derivatur.

39 Et ſi aliquis nulla interiori Gratiâ donetur, quâ poſſit bonum efficere utile ad

ſa-

39 Si Doctrinam expendere tandem velimus, quam præclariſſimus divinæ Gra-

tiæ

THOMISTÆ.

salutem, nullamque Deus in illius animum motionem infundat, quâ idem bonum efficiat reipsâ; non idcircò necesse est, ut moveatur motione contraria, quæ scilicet naturalem actionem moveat cum vitio conjunctam; proindeque aliquid peccet. Est enim tertius possibilis impetus, quo commotus animus cum honestate, & virtute agat, humanæ naturæ propria, quæ nimirum nihil pœnæ, nihil præmii demereat, quod ultra naturæ fines sit positum.

40 Inter D. Thomæ, & Societatis Alumnos non quæritur, quales ex se se sint divinæ suasiones, affectusque infusi, quibus ad virtutem liberè prosequendam inducimur: æquilibria hæc dona esse, inter utrosq;convenit: An libera hominis voluntas, paratissimum quidem, sed æquilibrem Dei ipsius concursum determinet, an præpotens Dei vis sit ejusdem æquilibrii arbitra, hoc quæritur.

Quis-

JANSENISTÆ.

tiæ Doctor Augustinus centies inculcat; nihil est novo hoc scholasticorum Theologorum commento impossibilius, quo homines pro hoc statu agere deliberatò posse imaginantur, quin aut ad salutem proficiant, aut deficiant, aut scilicet in via teneant viam, aut errent.

Dona, quibus pro suæ statu integritatis natura humana ad bene operandum juvabatur, æquilibria erant; nunc verò ad id juvari non potest, nisi per ejusmodi auxilia, quæ voluntatem necessariò in bonam partem certò inclinent; & Massiliensibus utuntur Magistris Jesuitæ, qui hæc minimè internoscunt. 40

P Qui

THOMISTÆ.	JANSENISTÆ.
41 Quisquis ineluctabilem prorsùs Gratiæ efficaciam, non ex motione divinitùs adjuncta, non aliundè derivatam, sed in ipsis Gratiæ necessitate prorsus ineluctabili victricis visceribus contentam docet, ille neque à Calviniana abhorrere hæresi, neque Concilii Tridentini Canones vereri putandus est.	Qui Gratiæ ex se se efficacis sententiam sequitur, & ab ipsomet efficientium virium pondere efficaciam metitur; ille Augustini, & Patrum ferè omnium mentem verè est assecutus, sanctasque Arausicanæ Synodi constitutiones colit, non sinè laude plenæ Religionis. 41

LIBER QUARTUS.

DEMONSTRATIONES INSTRUUNTUR.

In quibus selecta quædam Thomisticæ Doctrinæ axiomata locum majoris propositionis obtinent; atque ad hæc cum loco minoris propositionis accedit vel Thomisticum aliquod scitum, vel Jansenianum, nihil ex illa parte non Catholicè, nihil ex hâc non hæreticè dictum concluditur.

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS. LIBRI QUARTI.

1. *Quibus artibus, Jansenii sensus in obscuro positos esse plerique dictitent. 2. In aperto eosdem esse, tandem constat. 3. Stabilitur præcipuus controversiæ cardo. 4. Proponitur ratiocinatio, quâ Adversarii in caput Gratiæ ex se efficacis omnia revocant. 5. Postulatur, ut sensus varii sub hoc nomi-*

ne latentes ritè discernantur. 6. Gratia ex se efficax pro sensu Thomistico, Gratiam ex se efficacem pro sensu Janseniano hæreticam probat. 7. Demonstratur. Primò ex D. Thomæ schola, peccantes sibi sufficere, ex Jansenio sibi non sufficere, ut ne peccent. 8. Demonstratur secundò ex prima, possibilia cuique, ex alterâ impossibilia interdum præcipi. 9. Demonstratur tertiò interiori Gratiæ ex illâ obsisti interdum, ex hac obsisti numquam, si præponderet. 10. Demonstratur quartò. Pro Manichæis Jansenianos à Thomistis habendos esse. 11. Demonstratur quintò. Antecedentem, atque Calvinianam necessitatem à Thomistis definiri, quam Jansenianı consequentem appellant 12. Demonstratur sextò. Æquilibrium Thomistas ibi velle, ubi nonnisi ex semipelagiano errore poni posse Jansenius docet. 13. Demonstratur septimò. Qua ratione ex Thomistis Christus omnium Redemptor extitit, eâ ex Jansenio nonnisi electorum extitisse.

HActenus utriusque Theologiæ præcepta discernere visum est, eo quidem animo, ut nihil probarem, nihil refellerem; omnia tamen diligenter notata distinctione, ac methodo, quàm potui maximâ, explanarem.

1 Quibus novis artibus, Jansenii sensus in obscuro positos esse plerique diffitent.

Causæ difficultas malis veteratorum artibus intricatæ fecit, ut copiosiore id oratione præstiterim, quam planissima rei veritas desiderabat. Accessere præterea nova illa, quæ non multis ante annis, seu Recentiores Janseniani, seù Quesnelliani injerunt consilia, ut afflictam, si modò possent, ex Clementis XI. Constitutionibus rem restituerent. Postquam enim tot illis sententiarum, verborumque ambiguorum ambagibus, quas eorum moris esse norunt omnes, & nos retulimus, ad ca-

cavillandi artes perquàm optimè ſe comparaverant, tunc tandem (quod nemo crederet) de circumfuſa, qua ſe conſultò tuebantur caligine, cum Adverſariis queri, & expoſtulare viſum fuit. Bonam nempe totius fermè orbis fidem implorantes, obteſtanteſque affirmare eos fidentiſſimè audias, impetrari nunquam potuiſſe, ut Janſenii pridem, Queſnellii deinde ſenſus aperirentur; damnatos ab omnibus conclamari, à nemine planè explicatos teneri, & ne minimùm quidem laborari, ut prudenter demum noverit, quid quis damnet. Novum hoc cauſæ eſſe genus, atque ante hanc diem inauditum, cujus ratio poſtulet, ut quiſque tum Janſenii Auguſtino, tùm Queſnellii Notis hæreſes ſubeſſe plurimas certò ſciat; quod verò earum nulla exprimi quoquo pacto poſſit, nihil moretur. Decretis tantummodo factioſos Homines niti, quæ ad rem non pertinent, & quæ, germanus ille ~~ſenſus, qui in~~ hæreſeos crimen vocatur, qualis ſit, ne indicant quidem. Sed non adeò hebetes Janſenii Defenſores eſſe, qui non norint, quàm prudenter, & quo Conſilio, Jeſuitæ præſertim tantoperè connitantur, ut nunquam patefacta explodatur Auguſtini Theologia. Id illis propoſitum eſſe, ut vagas cenſuras, de quibus quiſque ambigat, quò feriant, in Gratiam Thomiſtarum efficacem aliquando convertant. Tàm nullo hæc illos negotio obtenturos conſidere, quàm facilè cuique eſt demonſtrare, nihil Queſnellium Gratiæ per ſe efficacis Defenſorem, à vulgari Thomiſticæ Gratiæ Doctrina diverſum ſentire; ſed laborem hunc fruſtra à Molinianis ſuſceptum eſſe, nihilque unquam fore felicitèr ſucceſſurum, niſi vel in Auguſtini, ac Thomæ Doctrinâ, quod horrendum auditu eſt, hæreſes deprehenderint, vel quid inter Gratiam per ſe efficacem, vel quam Janſenius, Queſnelliuſque, vel quam Thomiſtæ docent, interſit diſcriminis, ipſis denique Magiſtris, quod impoſſibile prorſus eſt, explanatum fuerit.

At

2 At verò, meâ tandem operâ, nisi vehementer fallor, explanatum abundè est, & sivè singulatim expendi omnia, sivè collata inter se contendi, & comparari libeat; Quid utraque Schola sentiat, in promptu est.

In aperto eosdem esse tandem constat.

Ergo ad controversiam accedamus: sed velim initiò, quod nullius fermè negotii futurum spero, ut ex utraque parte de ipso constet cardine, quo eadem vertitur.

Hæc sanè est omnium omninò, quod sciam, mens, & consilium, ut scilicet ostendant, suas, quæ magno in crimine ponuntur Theses, ad unicum Gratiæ per se efficacis Dogma revocari omnes: suæque ipsorum causæ

3 plurimùm interesse existimant, ut id ipsum, quam clarissimè possunt, notum, vulgatumque faciant. Potiti scilicet sua ipsi felicissimè causâ sibi videntur, cum in hunc tandem exitum illa perducta est. Neque enim Gratiæ per se efficacis Doctrina (hæc ipsi stultissimè jactitant, cum ante Calvinum natum ne nomen quidem auditum uspiam fuerit Gratiæ pro hoc unicè statu per se efficacis,) vel minimùm unquam Romanis decretis attentari potuit, quæ à tot Conciliis, & summis Pontificibus, totâque etiam traditione tàm disertè defensa est. Quamobrem (nisi fortè in molinianâ sententia ponenda sit summa nostræ Religionis) compertum concludunt, planumque esse, quàm benè ipsi, ac felicitèr cum præstantissimis divinæ Gratiæ Defensoribus in securo Ecclesiæ sinu sua fruantur pace, animo ad quietem applicato.

Proponitur præcipuus Controversiæ cardo.

4 Equidem gaudeo, hoc tandem esse contentionis caput; an scilicet Gratia ex se efficax inter hæreses, an inter Dogmata sit referenda? Sed postulo.

Propositus ex adversariorum mente quæstionis cardo stabilitur.

POSTULATUM.

Sensus sub novo isto Gratiæ ex se efficacis nomine latentes, qui certè multi, ac diversi latent, ritè discernantur.

Jansenianis usus magistris, id mihi postulo. Cum-

du-

duplicis sensus quinque propositionibus contenti distinctio semel confusa est; omnia in dubio esse, & nihil quæstionibus luminis adhiberi posse ipsi docent. At Gratiæ ex se efficacis, quinque ipsas propositiones continentis, ambigua quoque vox est: eam Calvini, eam Jansenii, eam Commendatissima D. Thomæ Schola usurpare solet; atque a Calvini sensu ita Janseniani abhorrere se, ut à Calvini, & Jansenii sensu abhorrere, etiam se Thomistæ profitentur. Attendenda igitur sunt, quæ Authorum suorum, commune verbum usurpantium, judicio intersunt sensuum discrimina, ne caligantes judicemus. Neque verò id postulo, ut scilicet sensus Thomistarum Catholicus, & Jansenii hæreticus jam nunc esse statuatur. Hæc est quæstionis summa. Nec nisi perspectâ re de tam diræ censuræ notâ deliberandum erit. Hoc volo: Gratiæ ex se efficacis nomine unum subintelligere Jansenistas; Thomistas aliud, longèque diversum.

5 Postulatur ut sensus varii sub hoc nomine latentes ritè discernantur.

Discrimen sanè superioribus libris demonstratum est luculenter, & cujusque oculis sponte offertur suâ, & ne ipsam quidem Jansenistarum mentis aciem fugiat; Meminerint præterea tripartitæ divisionis, quam Jansenius Author tradidit, sententiæ Thomistarum, Jesuitarum, & suæ: Illa errat (ajebat) in materia, nempe in physica qualitate, sed non in forma, quippè efficaciter determinante: Altera contra in formâ, quippè in Gratia æquilibri, sed non in materia, quippè in illustratione, & inspiratione: Nostra tandem veritatem assequitur, quippè vult illustrationem, & inspirationem, sed determinantem. Meminerint, ab eodem Jansenio septem referri apertissima discrimina inter utramque Gratiam ex se efficacem: Thomisticam loquens, *cujus profectò speculationis*, ait, *in Augustino, nullum vestigium esse video*: Addit: *Relinquitur apertam vim inferri testimoniis Augustini, quibus sententiam illam assertam volunt*. Tum: *Magis profectò Aristotelici*, *quàm*

Tom. 3. lib. c. 2. 3. nam prunt.

Ibidem 5. secundò Præde ... [illegible]

Ibidem §. Quapropter.

quam Augustiniani sunt. Alibique fusiùs: *Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solum nullo testimonio ejus probari potest; sed universam ejus doctrinam, innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat.... Totum igitur fundamentum Gratiæ medicinalis funditùs evertitur, & scripturæ subnervantur.... Quæ duplex ratio indicat Prædeterminationem physicam, potiùs vi humanæ Philosophiæ, quàm Augustinianæ Theologiæ expressam, & invectam esse*. Meminerint in eandem sententiam Arnaldum in duplici Apologia, pro Jansenio fusè disputasse: Quesnellium, Herminier, Habert, Juvenin, ut contrariam scriptuis, Augustino, ac toti antiquitati illam habere: ad Quesnellium sic suum scribere Familiarem 4. Aug. 1698. *Metaphysicum Institutum physicæ Prædeterminationis in utroque ordine Naturæ, & Gratiæ falsum est prorsùs, nec sinè causâ Jesuitæ, ut absurdum refutabant coram Clemente VIII. & Paulo V*. Contrà verò, Patrem Massoulie. dist. 4. de Gratia quæst. 1. art. 1. pag. 257. *Cum è contrario nulli ex omni Theologorum cœtu à Jansenio remotiores sint, & esse debeant, quàm Thomistæ, quamdiù Divi Thomæ Doctrinam, & ejus Principia defendent*.

Ità sanè ex ipsâ etiam partium confessione res ista habuit: quinimmò nec aliter habere potuit. Quid enim cœlestis amoris instinctus cum divinâ vi motum animi propellente? Quid delectationis sensus ac suavitas, quam sentimus, cum inanimi, quem patimur, impetu? Quid naturæ lapsæ calamitas cum supremo divini imperii dominatu affine habeat? in quorum primo, Jansenius, in altero D. Thomæ Schola Gratiæ efficaciam, tanquam fundamento ponunt? Quantulumcumque hoc sit discriminis, faciat nec ne quomodolibet ad rem, aliquod certè discrimen est, liquidòque probatum. Illud itaque mihi postulanti loco datum sumo, nequa fiat cavillandi occasio, & reliquam dissertationem non dubiis extruam fundamentis.

Porro

Porro videant, quàm erga ipsos æquus, & bonus sim. Quòd Calvinianos, qui iis propositionibus attribui possunt sensus damnent, laudo: quod germana Jansenii Doctrina, iisdem contenta, unico conficiatur capite Gratiæ ex se efficacis, concedo; neque in dubitationem supervacaneam vocari volo: satis est ad causam meam ita ipsis videri: quòd eàdem ipsi, atque Thomistæ in causæ difficultate versentur; hoc quidem profectò nego. Negem ne solum? Quin propositionem subiicio, quæ totius est mei Instituti caput, & in qua ingens Controversiæ hujus momentum poni arbitror.

P R O P O S I T I O.

Si Thomistarum ex unà parte, Jansenii, & suorum ex alterâ Doctrinæ ordo, contextus, & verba, in quibus nemo dubitet, attendantur; ex Thomisticis ipsis Axiomatis Janseniana Doctrina hæretica esse invictissimè demonstratur. Magnum sanè, atque etiam molestum veritatis pondus; quod nihilominus tergiversantibus licet, ferendum erit.

6 Gratia ex se efficax pro sensu Thomistico Gratiam ex se efficacem pro sensu Janseniano hæreticam probat.

Quod proposui sic efficio. Principiò. Selecta Scholæ hujus Axiomata exhibere consilium est, ipsis fermè exscripta doctissimorum Thomistarum verbis: tùm demonstrationes ità instruere, ut loco minoris propositionis, iisdem Axiomatis accedente hinc Thomistico Præcepto, Inde Janseniano, Conclusio ex unà parte Catholica, ex alterâ hæretica sponte proveniat suâ.

7 Demonstratur primò ex Divi Thomæ schola peccantes sibi sufficere; ex Jansenio sibi non sufficere, ut ne peccent.

SCHOLÆ THOMYSTICÆ UNIVERSÆ

A X I O M A I.

SI Justis viris quidquam peccantibus illa adest boni operis perficiendi plena potestas, quæ suâpte naturâ bonum opus antecedit; tametsi deest consequens,

quæ cum bono ipso opere est conjuncta habent tunc Illi auxilia sufficientia ad bene agendum, ut fert consensus Catholicorum; non habent autem, si quid modò dictæ potestatis antecedentis desit.

DEMONSTRATIO

Thom. Sed ne minimum quidem Justis viris, si peccent, illius deest facultatis, quæ suapte naturâ bonum opus antecedit, qualis est divini luminis, ac desiderii vis necessaria; licet illa desit, quæ à bono ipso opere disjungitur nunquam, & in impetu quodam divinitùs facto sita est.

Igitur habent Justi, cum quidquam peccant, auxilia plenè sufficientia ad agendum benè; ut fert consensus Catholicorum.

DEMONSTRATIO

Sed multum Justis tùm, cum peccant, facultatis deest, quæ in momento divini amoris præponderante ponitur, atque ut principium, & causa necesse est bono operi suapte naturâ antecellat. Jans.

Igitur non habent Justi, cum quidquam peccant, auxilia sufficientia ad agendum benè, ut post Lutherum, & Calvinum Hæretici nostri temporis omnes consentiunt.

Æquiore judicio viri, si Thomisticam callent Doctrinam, omnia hìc planè demonstrata facilè comprehendent. verùm ne quid à me temerè affirmatum esse existiment, scholasticarum rerum negligentiores, cavillisque, quos miserè timeo, præoludatur aditus. Ecce ipsa præclarissimi Thomistæ verba. Alvarez *de aux. div. gra. dis. 19. num. 9. Advertendum est*, ait, *quod in hac propositione, Causa secunda non potest operari, nisi moveatur à Deo*: illa exclusiva potest accipi ita, ut determinet verbum *Potest*, & tunc sensus est, quod nulla causa secunda habet in se verum posse operari, nisi moveatur à Deo; & hìc sensus est falsus, nec intentus

tentus à S. Thomâ, & ejus discipulis. Secundò. Potest illa exclusiva determinare verbum *operari*: & tunc sensus est; fieri non posse, ut causa secunda operetur aliquam actionem, & tamen non moveatur à Deo; & hic sensus est verus. Unde non sequitur, quod auxilium divinum sit qualitas tribuens in actu primo virtutem aliquam operandi. Simili fermè pacto, dicitur Deus non posse facere, nisi quod novit se facturum. At D. Thom. *qu. 1. de Potentia art. 5. ad 1. Hæc*, inquit, *locutio potest accipi in duplici sensu; quia exceptio potest referri ad potentiam, quæ importatur per ly* potest; *& ad actum, qui importatur per ly* facere. *Si primo modo; locutio est falsa; plura enim potest facere, quàm præsciat se facturum. Si autem secundo modo; locutio est vera: & est sensus, quod non potest esse, quod aliquid fiat à Deo & non sit præscitum à Deo.*

Pater Massoulie in libro, qui inscribitur Sanctus Thomas sui interpres *disp. 1. quæst. 8. art.* 10 *p.* 193. sub ipsum tempus, quo res ista agitur, ita scribit. *Hoc vellem imprimis, omnes attenderent. atque hanc inter disceptandum loquendi rationem adhiberent, nè ambiguitati, atque errori fiat occasio: nimirum, ut voluntatem, Gratiâ expertem efficaci, benè etiam posse agere, nemo neget, ex nostrâ sententiâ: nisi fortè explicationem adhibere velit, nempè eam potestatem deesse, quæ sit cum effectu conjuncta, non autem, quæ effectum antecedat. Secus negatio cum sit, ut ajunt, malignantis naturæ, sensus esse posset, quod voluntas sinè Gratiâ efficaci nullam prorsus facultatem haberet ad benè agendum, neque illud auxiliorum genus præstò esset, quod ad benè agendum se ipso sufficeret. Hoc enim sentire est planè hæreticum de viris præcipuè justis, qui suæ sunt bonæ vitæ studiosi.*

AXIOMA II.

CUi vires divinitùs desunt necessariæ ad obtemperandum præceptis, illi res præcepta factu est impossibilis; nec crimini dandum erit, quòd negligat mandata: Cui verò præsentes divinitùs adsunt, quantæ ad plenè obtemperandum requiruntur vires, ille, desint cœtera, obtemperare re quidem verâ potest, & si fortè deficiat, in vitio est.

8

Demonstratur secundò ex prima possibilis cuique ex altera impossibilis interdum præcipt.

DEMONSTRATIO

Sed divina contemnentibus mandata, tantæ ex nostrâ sententiâ divinitùs præstò sunt vires, tanta luminis, tanta piorum affectuum virtus, (siquidem Justi sint illi) quanta ad obtemperandum plenè requiritur; & nihil virium desideratur amplius. munus deest perfectam jam potestatem ad re ipsa obtemperandum inducens; nec tamen desunt auxilia infirmitatem humani animi planè confirmantia: deest illa Dei omnia moventis vis, inter obediendi facultatem, & obedientiam ipsam media, quæ causas universè potentes, & comparatas applicat ad reipsa agendum; nihil- (Thom.)

DEMONSTRATIO

Sed divina contemnentibus mandata aliquâ certè ex parte desunt auxilia divina, quæ sufficerent, deest justa amoris vis, neque illud præterea divinitùs conceditur interioris Gratiæ pondus, ac momentum, cui contrariæ cupiditas serviret, & est planè necessarium, ut mandatis obediant. (Jans.)

Igitur divina contemnentibus mandata universè est res præcepta planè impossibilis: quod est *hæreticum*.

Pe-

nihilque deest, quod ad causam plenissimè comparandam pertineat: verbo, deest acceptus donis efficacia, dona ipsa cumulatè accepta non desunt.

Igitur divina contemnentes mandata obtemperare te quidem verè possunt, & si fortè deficiant, in vitio sunt.

Petrus de Ledesma in tractatu de aux. in hanc sententiam sic habet: *cum quis Gratiâ caret efficaci, nihil illi deest eorum, quæ sunt necessaria, atque ad agendi facultatem pertinent. Facultas quidem plena est, ac perfecta, si sufficiens adsit auxilium; neque ex efficaciæ absentiâ quidquam demitur facultati. Idcircò mandatis Homo obtemperare debet, & nisi obtemperet, in vitio est.*

Idem Petrus de Ledesma, ibidem quæst unicâ art. 15. & 16. *Certum est*, ait, *secundum fidem, quod non est peccatum, neque tribuitur culpæ illud, quod non est in hominis liberâ potestate. At verò si Deus non conferret auxilium sufficiens homini, non esset in ejus potestate: cum auxilium sufficiens tribuat virtutem, & potestatem; ergo certissimum est, quòd Deus confert auxilium sufficiens homini.*

Gonzales in prima par. disp. 58. sect. 3. num. 35. *Gratiæ efficacis necessitas*, ait, *non facit, quò minus, qui sola est Gratiâ instructus sufficiente, plenam, liberam, paratam, atque perfectam benè agendi facultatem non habeat.*

Alvarez l. 8. de aux. disp. 7. *Ex sacris literis habetur*, inquit, *Gratia sufficiens distincta ab efficaci: de hâc divisione nullus dubitare potest Catholicus: eadem*

Col-

colligitur ex Tridentino, *ubi ait*; *Deus impossibilia non præcipit*, *sed præcipiendo monet*, *& facere*, *quod possis*, *& petere*, *quod non possis. etenim nisi daretur Gratia verè sufficiens*; *Sequeretur quod illi omnes*, *qui aliquid peccant*, *revera non peccare non possent*; *ideòque non imputaretur eis ad culpam quòd peccent*.

Bannez in prima par. quæst. 23. art. 3. *Quotiescumque*, inquit, *aliquis peccat*, *speciale peccatum contra præceptum*, *vel spei*, *vel pœnitentiæ*, *vel alterius supernaturalis virtutis*: *necesse est*, *ut ille de facto receperit divinam inspirationem illuminantis Dei*, *vocantis*, *& incitantis ad fidem*, *& pœnitentiam*; *quia nemo peccat*, *propterea quod non facit*, *quod facere non potest*.

Zumel, & Cabrera acerrimi ejusdem Doctrinæ Defensores, alter in disput. 4. de auxiliis efficacibus, *Certum est*, ait, *de fide*, *quòd datur hominibus auxilium sufficiens*, *quibus interdum non datur efficax*; *nullos verò habere Gratiam sufficientem*, *quâ possint*, *quin habeant etiam efficacem*, *quâ velint*, *expressa est Calvini hæresis*. *Equidem Deus nunquam denegat auxilium illud necessarium*, *& sufficiens*, *quod requiritur ad implenda præcepta*, *& cavenda peccata*. *Aliàs*, *si non præstaret vires*, *neque auxilia sufficientia*; *nullo pacto possent ab Hominibus impleri ejus præcepta*: *& rediret Lutheri hæresis*, *quòd Deus per suam legem obligavit hominem ad impossibile*. Alter *in 3. par. quæst. 18. art.* 4. Sic habet, *est auxilium sufficiens*, *quo homo possit operari*; *est efficax*, *quo de facto operetur*. *Pro tempore*, *quo homo obligatur salutariter operari*, *ita ut peccet*, *nisi operetur*, *recipit tunc auxilium Physicum intrinsecum*, *& necessarium*, *quo possit operari*: *& idem dicendum de auxiliis necessariis ad vitanda peccata*, *quando tenetur ea vitare*.

Medina in prima 2. quæst. 109. art. 10. *Deus*, inquit, *dat sufficiens adjutorium ad hæc jussa adimplenda*;

da; alioqui præciperet impossibile: & injustus esset, si puniret contra facientes. Tum post pauca: *si homo non habet auxilium Gratiæ necessarium, ut resurgat à peccatis, non imputatur ei, quòd non à peccato resurgat*. Qui tantorum Doctorum placita, tam clarè, ac distinctè expressa habebat ad manus; quânam forte obvium Pasqualis habuit sincerum illum Dominicanum, qui ex solo præpotentium Jesuitarum metu, paucis ante annis, inauditum antea Gratiæ sufficientis nomen à suis acceptum fateretur?

AXIOMA III.

TUm maximè divinis suasionum donis, Gratiæque interiori obsistit humanus animus, cum sui potens, & ad utramque partem comparatus, in malam ruit.

9 Demonstratur tertio interiori Gratiæ ex Thomistis obsisti interdum ex Jansenistis obsisti nunquam, si præponderet.

DEMONSTRATIO

THOM. Sed interiori Gratiæ, qualiscumque, & quantamcumque illa sit, atque habituum, luminum, & affectuum divinorum auxiliis, potest nihilominus accedere divinitùs ea motio, quæ naturæ motum sibi vendicat cum prava animi voluntate conjunctum; animusque propterea ad utramque partem comparatus, in malam ruere.

Igitur interiori Gratiæ,

DEMONSTRATIO

JANS. Sed cum præpollens adest interior Gratia, & præponderans habituum, luminum, atque affectuum vis, non potest prava aliqua cupiditas, utpotè debilior, ita in contrarium niti, ut ab obsequendo avertat tunc animum, & in malam partem inducat.

Igitur cum præpollens adest Gratia interior, & habituum, luminum, atque affectuum divinorum vis

qualiscumque, & quantacumque illa sit, præponderantique habituum, atque affectuum divisorum vi, humanus animus potest non sinè vitio obsistere, & interdum obsistit.

vis præponderans, non potest humanus animus obsistere, & numquam obsistit.

Propositionem hanc, *Interiori Gratiæ numquam resistitur*, in commentitio Jansenio, jure quidem optimo damnatam nuperi tandem Jansenistæ professi sunt. At si Thomistas ipsos audiamus; in vero Jansenio, atque adeò ex germanâ Jansenistarum omnium mente confecta deprehenditur.

Quin evidentissimè efficitur ex effato illo Thomistis omnibus compertissimo, quod subdo.

EFFATUM CATHOLICUM.

SOLA GRATIA EFFICAX EA EST, CUI NUMQUAM RESISTITUR.

THOM.

DEMONSTRATIO

Sed Gratia interior plerumque est verè, propriè, plenèque sufficiens, nec tamen efficax.

Igitur Gratiæ interiori verè quidem, plenèque sufficienti plerumque resistitur.

JANS.

DEMONSTRATIO

Sed Gratia interior numquam est verè sufficiens, quin sit efficax.

Igitur Gratiæ interiori verè sufficienti numquam resistitur.

AXIO-

AXIOMA IV.

SI illustrando, atque inspirando, Justos præsertim, suadeat Deus, quod benè agendum est, omniaque præstet, quæ ad benè agendum sufficiunt, nihilque eorum malè deindè agentibus neget, quæ benè agentibus, ut sibi sufficiant, præstò sunt; profectò verè Suasor, verè Auxiliator bonorum, nec malorum est operum. Quod si ab illustrando, atque inspirando, quantum satis est ad benè agendum, abstineat; suisque abductos cupiditatibus, impotentes, qui justi antea erant Homines, relinquat; videretur quidem Deus esse malorum Author, in quâ ne Manethes quidem fuit hæresi, duo prima statuens bonorum, malorumve principia, ne Deum faceret malorum Authorem.

10 Demonstratur quartò pro Manichæis Jansenianos à Thomistis habendos esse.

DEMONSTRATIO.

THOM. Sed nihil suasionum, auxiliorumque verè sufficientium deest Justis antea hominibus, ut ne peccent, etiamsi deinde peccent, quæ, ut sibi verè sufficiant, benè agentibus præstò sunt.

Igitur bonorum, nec malorum est Author Deus, atque ab omni Thomistæ hæreseos hujus crimine sunt immunes.

DEMONSTRATIO.

JANS. Sed defuit Petro peccanti, deest peccantibus Justis omnibus tanta illa suadendi, animumque alliciendi divina vis, quanta verè sufficeret ad peccato abstinendum; & suo ductus timore Petrus, suis ducti alii cupiditatibus impotentes relinquuntur.

Igitur Deus erit malorum Author, & Manethis hæresi, hæresis multò etiam absurdior jam profertur.

Quid contra, Jansenistæ mussitabunt, qui præcipuâ hac super re Thomistarum Axiomata, non modò

R vera

vera esse profitentur, sed etiam sua, ubi Religionis causa vertitur; ipsamque, quam luculenter tradunt, de divinâ Gratia Doctrinam, refutare non audeant?

Antequam quintam Demonstrationem propono, in quâ momenti plurimùm esse video; notandum, explicandumque est, quid nomine necessitatis antecedentis, & consequentis Thomistæ, quid Jansenistæ intelligant; pro varia enim, & valde diversâ significatione easdem voces utraque Schola usurpat. Quidquid verò de necessitate dixero, de impossibilitate etiam dictum puta; cum eadem utriusque sit ratio, ac disciplina.

Principiò necessitas, de quâ loquimur, tùm maximè in considerationem venit, cum causas suis effectibus comparamus. Quippè quærimus, necesse ne est causa ita agat? impossibile ne est, eadem secùs agat? Atque tùm responderi solet, necesse quidem est, sed necessitate consequente, non antecedente; vel, necesse est, non consequente solùm, sed etiam antecedente necessitate, pro variâ causarum indole ac naturâ. Ignis E. G. necesse est ex omni prorsus necessitate ardeat: atque ex consequente tantummodo necessitate, cum fortè ambulo, ambulem quoque necesse est.

Deinde illa est necessitas apud omnes consequens, nisi sensus ipse communis nos fallat, quam proptissimè inducit effectus liber, quando reipsa est. Quid enim magis necesse sit, quàm effectum esse, dum re ipsa est? Et quid magis impossibile, quàm dum reipsa est, eundem non esse? Sed quoniam, ut effectus, ita necessitas, quæ ab effectu sejungi nequit, posita est in efficientis liberâ voluntate; idcircò necessitas ista, æquè atque ipse effectus, consequitur liberam agendi facultatem; proindeque vulgò consequens facta est.

Inde deducunt Thomistæ passim, parem etiam necessitatem proficisci ex suâ eorum determinatione, quâ causa omnis æquilibris ad certum aliquem effectum progignendum divinitùs movetur. Etenim, ut ut est

causa

causa suis viribus comparatissima, nihilque illi deest ad efficiendum; efficiet certè per Ipsos nunquam, nisi ad virtutem cumulatè perfectam Motio accedat divina, quâ reipsa effectum progignat. Quamobrem tùm effectus, tùm Motio consequitur causæ vim; & quanta ex effectu, tanta ex motione necessitas proficiscitur; utramque causa prævertit suis principiis adornata; utraque est iisdem, & perindè necessariis rationibus consequens.

At si necessitas visceribus veluti potentis causæ hæreat, atque ipsius vi fiat, ut causa aliquem sibi effectum certò vendicet, alios respuat; antecedens quidem profectò Thomistis esse definitur, quippè quæ in ipsa causæ naturâ ponitur, nec à consequente, vel motione, vel effectu pendet.

Neque verò idem est Jansenistis sensus, verba eadem usurpantibus. Antecedentem ex Gratiâ efficaci necessitatem fieri negant, consequentem concedunt; Thomistis utentes magistris, si loquendi rationem spectes. At re ipsâ antecedens huic Scholæ necessitas esse intelligitur, quæ ipsius causæ naturæ ex se se consideratæ inest; quæ autem causæ accedit ex adjunctis, & consequentibus, sit, inquiunt, oportet consequens. Quamobrem cum integra arbitrii facultas ex se se tùm benè agere possit, tùm malè, eademque interdum benè, interdum malè reipsâ agat; nullâ eam antecedente necessitate teneri, compertum habent. Quoniam verò post Adæ lapsum voluptati est serviendum, atque pro hominum sortibus, loco, tempore, divinæque præsertim Providentiæ consiliis, modò cupiditas prava, modò divinus amor suavitate præstat; fit sanè, ut voluntas ex certa necessitate malè agat, & ex certa etiam necessitate agat benè, sed consequente; nimirum non suaptè naturâ, quam, & liberam, & ingenuam Deus condiderat, sed ex consequente contractæ labis vitio, quo fit, ut graviori contrariarum delectatio-

num ponderi, ac momento serviat.

Hæc fanè ipsi; atque consequentem necessitatem appellant, quam ex sua Thomistæ Doctrinâ antecedentem appellarent. Nihil enim est intimius causæ ad benè agendum expeditæ, quàm divina auxilia, quibus unicè potestas illa comparari potest. Principia omnia suasiones, lumina, virtutes, habitus, quæ vires addunt, necesse est, suaptè naturâ antecedant tùm effectum, tùm motionem divinitùs ad efficiendum factam, Et, si qua in ipsis esse necessitas fingitur, in alterutram ex partibus certò inducens, illa Thomistis vulgò omnibus antecedens esse sinè dubio definitur.

A X I O M A V.

QUÆ necessitas facultati, principiisque agendi ita hæret, ut arbitrium ad utramque partem paratum minimè relinquat, ea est antecedens, & ad Calvini mentem libertatis inimica: quæ verò est motionis divinitùs factæ comes, & facultatem suis principiis plenè comparatam consequitur; ea est consequens, & libertatem non magis offendit, quàm necessitas, ut effectus reipsa sit, perfecta jam re.

11 Demonstratur quinto, Antecedentem, atque Calvinianam necessitatem a Thomistis definiri, quã Jansenianı consequentem appellant.

DEMONSTRATIO.

Sed ex Thomistarum Schola nulla esse, aut fingi potest ejusmodi necessitas in liberâ arbitrii facultate posita; sed ea solùm, quæ motionem jam divinitùs factam consequitur.

THOM. Igitur juxta Thomistarum Scholam nulla est in libe-

DEMONSTRATIO.

Sed pro Janseniano sensu, ipsis agendi principiis; luminibus, nempè, suasionibus, inspiratoque amori hæret necessitas, quæ ponderato suavitatum momento voluntatem tam certò inducit, ut ad unam tantum partem arbitrium potens relinquat.

JANS. Igi-

liberâ arbitrii facultate necessitas, nisi consequens; & quæ proinde libertatem non offendit.

Igitur pro Jansenianô sensu, In liberâ arbitrii facultate necessitas ponitur planè antecedens, atque ad Calvini mentem libertatis inimica.

AXIOMA VI.

PRincipio & facultati benè, malève agendi, vel necessitas inerit antecedens, unam inducens partem, vel æquilibrium ad alterutram: pugnant utraque inter se, & nihil in hâc causâ tertium, alterum esse verum oportet, alterum falsum.

DEMONSTRATIO.

Sed hæreticum est necessitatem inducere in ipsa benè, malève agendi principia, & causas: ut Veteres, & Recentiores Thomistæ docent ad unum omnes.

THOM. Igitur Catholicum est, principia statuere æquilibria, quæ inter divinos, intimosque luminum, ac suasionum sensus referuntur.

DEMONSTRATIO.

12 Demonstratur sextò. Equilibrium Thomistas ibi velle, ubi nonnisi semipelagiano essere pani posse Jansenius docet.

Sed Catholicum, & præcipuum Augustini effatum est, post Adæ lapsum, principia ipsa, intimamque luminum, ac suasionum vim, ex se se, & suomet pondere in unam partem ineluctabiliter inclinare.

JANS. Igitur hæreticum est, principia omnia, proindeque divina Gratiarum dona æquilibria constituere.

Hoc illud est quartum Jansenianæ Doctrinæ Caput nimirum; *semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset huma-*

na

AXIOMA VII.

HOc sanè nomine Christus Dominus omnium Redemptor extitit, quòd suis meritis profusóque Sanguine, auxilia obtinuit hominibus ratione valentibus verè, propriéque sufficientia; quibus benè usi Patriâ potirentur.

DEMONSTRATIO.

13 Demonstratur septimò, qua ratione ex Thomistis Christus omnium Redemptor extitit, ea ex Jansenio non nisi electorum extitisse.

Sed pro Christi merito omnibus suâ jam ratione utentibus auxilium adfuit verè sufficiens, quo benè usi Patriâ potirentur; & licet defuerit plerisque motio divinitùs facta, proindeque ipse usus bonus: quia tamen benè utendi facultas per Christum obtenta minimè defuit, idcircò tùm motio divinitùs facta, tùm bonus usus non sinè suo eorum vitio plerisque defuit. THOM.

Igitur omnium Redemptor Christus jure optimo ex Thomistarum sensu creditur extitisse.

DEMONSTRATIO.

Sed quotquot sunt Reprobi, illis certè Christus non obtinuit cœleste donum, quod voluntatem suavitati servientem alliceret, quod humani Consilii libræ momentum adderet ineluctabile, quod tandem ad salutem obtinendam verè, propriè, atque etiam unicè sufficeret. JANS.

Igitur Christus Dominus Reproborum omnium Redemptor non extitit.

UTRIUSQUE MINORIS VERITATEM HINC D. THOMÆ, INDE JANSENII VERBA FACIUNT MANIFESTAM.

D. Thom. in c. 17. Joa: lect. 2.	Jan.l.3. de gra. Salv.c.21.

lect. 2. quæstioni huic ita respondet.

Dicendum, quòd Christus quantum est de se, pro omnibus oravit: quinta oratio sua, quantùm est de se, efficax est, ut valeat toti mundo: sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei; & hoc propter impedimentum mundanorum.

Pro primi generis hominibus, tamquam veris ovibus suis, vero populo suo, tanquam absolutè salvando, semetipsum dedit, ac tradidit ..... pro istis in æternum vivificandis mortuus est, pro istis ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro cæteris, qui à fide, & charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim intantum mortuus est, & intantum propitiatio peccatorum est, & intantum rogavit Patrem, inquantum temporalibus quibusdam divinæ Gratiæ effectibus exornandi sunt. Et infra. *Cui nullo modo prodest, pro illo nec Sanguinem fudit, nec mortuus fuit.*

Nec me latet, quod recentiores Jansenistæ, cum magnam suæ sententiæ ex hac propositione invidiam comparari adverterint, iterum ad vulgarem scholarum distinctionem se recipiunt, quodque antecedente quidem Dei voluntate omnium universè, consequente tamen Electorum tantummodo salutem comprehendi dictitant, novam atque alteram æquivocationem usurpato verbo sufficientes. Nihil sanè hàc loquendi ratione apud Catholicos usitatius; sed immmane quantum ab eorum sensu discrepat Jansenianorum vera mens! Voluntatem appellamus *antecedentem*, quâ Deus seriò

prospi-

prospiciens saluti omnium omninò hominum, ea comparat, quæ sunt cuique necessaria ad salutem obtinendam: atque unicè ex proprio hominum vitio fit, ut generalis licèt sit illa, nonnisi tamen paucis, solisque electis reipsa prosit. Dicimus *consequentem*, vel alio nomine specialem, quæ propositum obtinet, & effectum sortitur suum. In utraque Justum Providentiæ consilium, atque æternum laudandæ gubernationis decus, & ornamentum; utraque perinde est bona, perinde sincera; sed tamen successum si spectes, hæc illâ est felicior. Hæc Catholicis omnibus sunt in confesso. At verò antecedens Dei voluntas Jansenianis esse dicitur, quæ culpam originis antevertens, omnium saluti consulere ex se se studuit, auxiliis pro eo statu ad utramque partem comparatis: Consequens deindè est, quæ post Adæ lapsum, turbâ Reproborum neglectâ, aliquos seligit, auxilisque instruit propriis nostri status, certáque, atque ineluctabili ratione effectum obtinentibus. Quæ quidem omnia Calvinianâ tabe satis scatent.

LIBER

LIBER QUINTUS.

Respondetur illis multis, quæ oggerunt in contrarium.

ARGUMENTUM, ET SYNOPSIS. LIBRI QUINTI.

1. *Respondetur primo argumento, ex Gratiæ vi per se efficacis petito, quæ in utrâque sententiâ, si rem spectes, nihil differt: & cui pro utrâque etiam Sententiâ, bono tamen quodam sensu, resisti potest.* 2. *Respondetur alteri Argumento, quo contenditur, ad abstinendum peccato eos, qui peccant, sibi perinde, iisdemque rationibus sufficere, sive Thomistas audias, sive Jansenianos: ita videlicet, ut, postquam Thomistæ suorum verborum sensum aperuerint, Janseniani eundem illum sensum sequentes, plenam non peccandi sufficientiam omnibus, & quovis tempore hominibus communem facere non dubitent.* 3. *Tandem respondetur tertio Argumento, quo tantam esse suæ Doctrinæ cum Augustini Doctrinâ affinitatem probant, ut Jure, & merito Jansenianorum nomen jamdiu obsoleverit, & Augustiniani per Europam prædicentur.*

PRIMUM ARGUMENTUM.

MUlta quidem interesse discrimina, sit, inquient; planè demonstratum. Quid tùm postea? scilicet hæretica Jansenii Doctrina, Thomistarum Catholica censenda est? Quod proponitur, ut aliquâ efficiatur ratione, oportet sanè, ut notata discrimina ejus sint generis, quæ hæreticos inter, & Catholicos discernant. Talia autem, quis probet? Verùm enimverò in paucis convenire, in multis à Thomistis differre, fatemur ultrò; eâ tamen ratione, ut pauca illa possint quidem Religionem attingere; reliqua tamen multa non possint; & religiosi cum Thomistis semper simus; cum eisdem licet non semper consentientes simus. Spontè veritas patebit suâ. Gratiam ex sese efficacem esse, divino munere, nullaque arbitrii virtute efficacem fieri; Adesse hanc omnibus agentibus benè, deesse agentibus malè; Tùm adesse eandem, tùm deesse ex divini arbitratûs nutu, nulla habitâ meritorum ratione; Illius dono, vel concesso, vel negato, voluntates hominum summo, atque ineluctabili imperio divinitùs regi; carere eadem Peccatores, quæ nihilominus necessaria prorsùs est, ne peccent reipsâ; æternæ tandem prædestinationis negotium sub solâ Dei ultrò miserentis voluntate esse positum, præcepta, atque effata sunt, quæ ad rerum divinarum facultatem, atque ad divinæ Religionis Instituta pertinent expressè. At verò in his modò recitatis tùm verbo, tùm sententiâ (Norunt Molinistæ quid loquamur) Thomistæque, Jansenistæque convenimùs omnes. Illud tamen interest, quod præcellens amoris sensùs, & suavitas ex Jansenio, Divini Motoris impetus ex Thomistis, seu veriùs ex nupero Scholasticorum Thomistarum vulgo Gratiam faciat ex se efficacem, & quæ multæ ad fastidium congestæ sunt

di-

discrepantiæ, hùc tandem omnes sunt facilè revocandæ. Sed leviuscula ista est quæstio, quæ sinè ullo rei Catholicæ periculo ad otiosas disceptantium Scholarum ineptias amandari poterit. Ecquis sibi facilè persuadeat, divinarum rerum, sanctissimæque nostræ Religionis interesse plurimùm, an divinæ Gratiæ efficacia, & vis sita sit in re aliquâ brutâ, atque inanimi, an vivaci veriùs, & suavi, quodque inde consequitur, ad suadendum facta?

Præterea in omnibus fermè de Divinâ Gratia disquisitionibus, quæ ab Augustini temporibus in hanc usque diem fuerunt pertractatæ, nulla unquam fuit mota, & peracta quæstio, nisi quæ, vel de divino, & supremo Imperio ageret in subjectas hominum voluntates, vel de libero subjectorum hominum arbitrio, vel de inscrutabili modo, ac ratione, quâ Deus in subjectum arbitrium dominatur. Triplici hoc capite, suo quasi cardine, hæreticos inter, atque Catholicos Controversiæ vertebantur; Aliis cum Pelagio, Juliano, & Massiliensibus plurimùm arbitrio tribuentibus; Aliis cum Augustino, & Prospero in efficacem Dei Gratiam bona merita revocantibus; quos proinde Scholæ consequentes, si Molinianam excipias, Magistros habuerunt. Quod si idem nos, atque Thomistæ imperium Deo attribuimus, voluntates hominum versanti ad nutum; si arbitrio efficaciter moto parem relinquimus facultatem peccandi, parem non peccandi necessitatem; præsente quippè Gratiâ, non tamen efficaci, potest; præsente, & comite Gratiâ efficaci, non potest: Neque aliud barbara illa Thomistarum significant verba, *In sensu diviso* ab efficaciâ potest, *in sensu composito* non potest; si tandem Divinæ Gratiæ donum efficax, non sit ex infallibili scientia, non ex Dei voluntate efficax, ut plerique multi Molinistæ, ajunt, non denique ex accedente, & obsequente donis Gratia arbitrii usu, ut Alii, quos etiam inter Molinistas reperies;

S 2 sed

ſed eſt ex ſeſe efficax; quodque ipſum eſt donum, ipſum ipſum eſt efficax; Si tria hæc, quæ Controverſias continent prorſus omnes, nihil omninò diſcrepant per ſomnium; hæreſim illam de Gratia per ſe efficaci à D. Thomæ Doctrinâ immenſum aberrantem, ubinàm gentium, & quas inter tenebras deliteſcere credendum ſit?

Hæc ipſi adornare aſſolent elegantiùs, quò faſcinent indociles vulgi animos, qui ad fucatam veri ſpeciem hærentes, rem tantæ, quæ agitur, molis minimè penetrant. O' quantò illa ſcriberent parciùs; Si ſolis, ut ſubobſcura admodùm, planèque divina poſtulant, ſcriberent Viris!

Principiò inter præcepta utrique Scholæ communia illud etiam relatum video, ſcilicet Divino munere, nullaque arbitrii virtute fieri Gratiæ efficaciam. Hoc quidem ex Thomiſtarum Scholà verum, cum ſolius Dei præmoventis impetus efficaciam afferat Gratiæ: At ex Wendrokio, cui Arcanum Janſenianæ Theologiæ myſterium aperire tandem libuit, eſt planè falſum. Is enim habere homines, quid agant in ſuæ ſalutis negotio, diſertè docet; Si nimirùm turpes doment appetitus ex affectu honeſtatis, pravo illo quidem, (quis enim divinæ Gratiæ expers affectus ſit, juxta Janſeniſtas, niſi pravus?) minùs tamen pravo; unde divina Auxilia, domito appetitu, exiſtant valentiora, bonumque obtineant ſucceſſum. Hæc opera, hæ bonæ artes, quibus inefficax antea Gratia fit tempore, & loco efficax, tam ſunt in ſola hominum, nec Dei manu, quam ſoli homines, nec Deus unquam, qui in Sancto habitat, in aliqua levi culpâ eſſe poterunt.

Sed tamen his miſſis, reſpondeo ad ſingula: atque in iis, quas leviuſculas eſſe dictitant, utriuſque Sententiæ diſcrepantis, momentum poni ingens; an demonſtrem? Ratiocinantium arbitrium eſſe volo.

Pauca

Pauca quidem initiò, certa tamen illa, & explorata, ut moris est, postulo. Primò cum Doctrina probabilis, quæ magno est in dubio, vocatur in quæstionem, & qui in contrariâ sunt sententiâ, confutare eam satagunt argumentis per locum, quem Logici vocant deductionis ad impossibile, conficientes inde, vel quod ad hæresim, vel quod ad impietatem deduci posse videatur, vel absurda alia, & planè falsa; nonnisi per summam insaniam putaret aliquis, illius Doctrinæ Authores ab ejusmodi argumentis, aut hæreticos probari, aut impios, aut sanæ mentis expertes. Certè tam frequens est, & usitata hæc argumentandi ratio in exercitationibus Scholæ; ut nisi eadem omnis sit expers injuriæ, quotquot sunt Theologi, Philosophique, modò hæretici, modò impii, stulti modò, atque amentes ex contrariâ partium opinione existent omnes.

Quàm nullo jure negarent Janseniani, quod postulatur, in aperto est. Audent nihilominus dissimulanter se gerere; quasi verò tam clara veritas, vel eos fugeret, vel ad causam, quâ versamur, nihil conferret; quando ab animadversione modò facta, attentoque diverso admodum, aut disputandi, aut definiendi more, res ista, nisi vehementer fallor, pendeat tota. Secundò, Dogma Canoni contrarium, ab Ecclesia universâ definito, est hæresis; Et qui tali imbutus Dogmate sciens, prudensque persistit in sententiâ, est hæreticus. Quæ duo postulata modò sunt, si conferantur inter se, liquidò constat, hæretica Dogmata rationibus ex una Doctorum parte confecta probabilibus, quibus tamen pars altera reluctatur, non facere hæreticos; facere verò hæreticos apertam, ac liberalem hæreticorum Dogmatum confessionem. Tertiò præmotio divina, quæ arbitrium plenè comparatum ad utrumlibet, movet re ipsa ineluctabiliter in bonam partem, est una res; vehementior divini sensus suavitas, pravorum naturæ appetituum victrix, est alia, & diversa

versa res: in illâ Thomistæ efficaciam ponunt divinæ Gratiæ, in hàc ponunt Jansenistæ. Qui unam eandemque efficaciam pro utraque, ac diversa videt, aberrat, ut ajunt, à janua, & toto fallitur judicio.

Post hæc ita argumentor. Discrepantia inter utramque sententiam Gratiæ per se efficacis facit, ut Thomistæ in omni Catholico Dogmate defendendo persistant invictè; Jansenistæ verò suâ ipsorum confessione (Hoc enim caput est) ab aliquo discedant. Igitur non leviuscula quidem illa, sed verè maxima discrepantia est. Veritas antecedens confecta satis videri poterit ex proximè demonstratis; libet tamen subdere, quæ propositæ argumentationis fallaciam propiùs explicent. Quamobrem ostendo primam antecedentis partem. Si neque argumentis in contrarium Thomistæ unquam acquiescant, omnesque ad unum, ut absurdum, semper refellant Dogma hoc, *vires homo, non habet, quibus Gratiæ possit verâ, atque antecedente potestate resistere;* Catholica de Gratia efficacia Doctrina prò Thomistarum sententiâ ab omni immunis censurâ est. Sed dum vires, quas Gratia interior plenissimas facit, à virium sejungunt præmotione, non secùs, atque motum à principio mobili, & ad movendum paratissimo; persisterunt, persistentque constanter in refellendo illo Dogmate, ut planè absurdo. Igitur efficacia, rationibus modò explicatis in præmovendo posita, facit quammaximè, ut Thomistæ in omni Catholico Dogmate defendendo persistant invictè. Major propositio est notæ veritatis; affertâ enim arbitrii libertate, Thomistarum sententiæ nihil ferè difficultatis est reliquum, in quâ laborent. Minorem res ipsa, cæteris prætermissis, tandem demonstret. Quæ multa, aut disputata sinè fine sunt Argumenta, à D. Thomæ temporibus in hanc diem, nunquam effecere, ut Thomistarum unus fateretur, Dogma illud ex suâ sententiâ benè confectum. Opponat, qui volet, *Gratia per se efficax, quam docetis,*

ine-

ineluctabili inducit bonam meritum necessitate : non potest igitur illi homo resistere, si velit. Reponent, ut omnes norunt, necessitatem quidem inducere, quæ paratissimas vires consequatur, quæ verò vires ipsas faciat, non inducere. An ad principium æquilibre, & ad motum in utramque partem aptissimum accedere necesse sit Dei Motoris præmotionem? voca, inquient, in quæstionem, ut lubet: est illa Institutorum Philosophiæ propria. At verò, si necessaria semel sit illa præmotio, quam volumus; non ad vires comparandas, sed ad comparatas vires reipsa movendas necessariam noveris; & vale.

In altera antecedentis parte non haberem', quid demonstrarem. Si cum ingenuis Jansenianis peragenda esset quæstio: omnibus nempè est in confesso, vires, quibus possit quis resistere Gratiæ requidem verâ sufficienti, qualis pro statu naturæ lapsæ ea est, quæ per se efficax existit, & victrix, habere neminem. Scio dictitare ipsos passim, Istiusmodi effatum, si quis omnem loquatur Gratiam, à Synodo Tridentinâ, ut hæreticum haberi; Si Gratiam tamen loquatur, per se efficacem, quod apud Augustinum, & Patres millies facilè comperias repetitum, hæreticum non haberi. At verò si eadem, quæ per se efficax facta est, unicè sufficiens statuitur prò hæretico, inquam, habent, Theologi tùm Dominicanæ familiæ, tùm Societatis omnes; quod satis, superque est ad rem, quam demonstrandam suscepi. An habeat Ecclesia universa? (Videant, quàm parcus in censendo sim); Ecclesiæ judicium esto. Vereor tamen, ne perfidæ Judæorum nationis morem imitantes definiendam expectent veritatem, quam nos jam inde a D. Pii V. Ævo definitam profitemur, & colimus.

Miratus sæpè sum, fateor, quòd ab hoc Tridentini anathemate nihil sibi cavendum existiment illi, qui clare, distinctèque non aliam interiori Gratiæ effica-

cıam

ciam tribuunt, nisi eam, quæ Divino suavitatis sensui inest, ad vitiosos animi appetitus compescendos facto. Norunt, profectò, affirmantque ingenuè, ipsam hanc Gratiæ efficaciam à Calvino in suis institutionibus fusè traditam: num enim, quæ omnium oculis sunt subjecta, ad insaniam usque impudentes negare non vereantur? Peracutam itaque adinvenere causam, rationemque, quâ commune hoc Jansenio, Calvinoque scitum ab invidia liberarent. Odiosò, inquiùnt, Calvini nomine stultum est, atque adeò impium ita commoveri, ut à Catholicis, quæ Calvinus scripserit, Dogmatis discedendum statuatur. An aliud Trinitatis, aliud Incarnationis mysterium profiteri oporteat, quam quod Calvinus in suis institutionibus tradidit? Quis non pleraque Catholicis explorata scripsit hæreticus? Nulla certè apud nos Calvini, aut Gratia, aut existimatio, dum Augustini, & Antiquissimorum Patrum sententiam à Calvino traditam, non Calvino, sed Augustino, & antiquissimis Patribus magistris, sequimur. Dum stipites facit Calvinus homines, dum omnem adimit benemerendi facultatem, errat; & ab hac Calvini mente religiosè abhorremus: dum interioris Gratiæ sensui ineluctabilem affert efficaciam, Doctrinæ Patrum consentit universæ, nec errat. Hæc ipsi in vulgus passim; sed rem novam, & nunquam satis demirandam attende. Quod de solâ Gratiæ interioris efficaciâ docet Calvinus, si nuperrimis credendum sit Jansenistis, ex Augustini, Patrum & Catholicæ Ecclesiæ Sententiâ est: quod de solâ Gratiæ interioris efficaciâ docet Calvinus, si ipsi credendum sit Calvino, gravissimâ illud Tridentini (Ecclesiæ scilicet universæ) censurâ notatum, profligatumq; est. En exscripta Authoris verba in Antidoto pag. 278. ubi, fateatur licèt conrra Lutherum, arbitrium non se habere, ut quid inanime, hunc tamen Tridentini Canonem sic coarguit. *In eo hallucinantur Tridentini Patres, quòd motum nobis offerri somniant, qui me-*

diam

dictum electionem nobis relinquat. O' quàm feliciter sua Jansenistis succederent consilia, in quibus jamdiu susceptis unanimi consensu hærent toti; si possent, quod veteri est in proverbio, cornicum oculos configere.

At non una omnibus est in suis aperiendis sensibus ingenuitas. Clamitare alios, & propalam in hæc verba profiteri audias: non illis modò infirmioribus Gratiis, quæ tùm inefficaces, tùm excitantes vulgò dicuntur, ita resisti posse sentimus, ut illud ipsum bonum ad quod impellunt prætermittatur; sed etiam non minùs acriter adversus Calvinistas dissentiendo à Gratiâ etiam efficaci, etiam victrici, potestatem voluntati asserimus.... Qui Dei magnitudinem, & æternitatem cogitans, incipit caducas peccatorum voluptates fastidire, & suam in Deo voluptatem, suum in Deo gaudium collocare; ille sic affectus ad Deum fertur infallibili, & nihilominus libero; & voluntario amore, ut jam à Deo divelli grande foret ipsi supplicium. Potest ille quidem Deum, cum voluerit, relinquere; verùm id qui vellet? cum voluntatem secundùm id, quod amplius delectat, operari necesse sit; nihil autem voluntatem, quam Gratia efficax movet, æquè delectet, ac summum illud, & unum bonum cætera in se bona complexum?....... Itaque nullum nobis cum Thomistis dissidium est, ne Recentioribus quidem: illi enim & in voluntate vim resistendi Gratiæ etiam efficaci, & in Gratiâ efficaci flectendæ infallibiliter voluntatis virtutem agnoscunt.

Nulli jam nostra erit dubia innocentia, qui à Calviniano errore tàm longè absumus, eamque tùm voce, tùm scriptis, & quibuscumque possumus modis, detestati sumus, eadem prorsus ratione, atque Thomistæ, quos nullus unquam in erroris suspicionem vocavit.

Hæc Montaltius: At verò cum posse resisti Gratiæ per se efficaci disertis Thomistarum verbis affirmat Au-

thor; num nam affirmat etiam, Gratiam prò Thomistarum mente ex divina Præmotione fieri efficacem? Nihil minùs. Divini sensus suavitas, & delectatio, pravarumque voluptatum fastidium, affert ex ipso Gratiæ efficaciam, pro hoc statu, quo voluptate homines duci necesse est. Huic igitur Gratiæ posse homines resistere, si velint, Tridentini Canonem reveritus catholicè profitetur: Quid autem? Si orationem hanc, Thomistarum menti accommodatam, omnes facilè intelligant; Montaltii menti accommodatam intelligat nemo? Pone vires plenè factas interiori ex Gratia arbitrio consentaneâ, & æquilibri; pone accedentem, quæ vires re ipsa moveat Præmotionem; (secùs enim alia omnia, quàm Thomistarum mentem pones;) nemo jam dubitare poterit, quin Thomistæ seriò doceant, posse quidem Gratiæ resisti efficaci, si vires ipsas, ipsumque *posse* dividas à virium Præmotione; Si vires cum virium præmotione conjungas, *non posse*. Suo stat æquilibrio sejunctum *Posse*; hinc resisti potest: præmotum reipsâ in optimam partem inflectitur, sequaci, & comite bonâ, liberâque hominis voluntate; hinc resisti non potest. At verò pone jam animum humanarum voluptatum fastidio affectum, captumque divinis, cui Gratia per se efficax dominetur; quænam illi concedendæ sint ex Montaltio vires, quibus possit huic Gratiæ resistere? An aliæ, quàm quæ ex originis labe emanare solent? pravi scilicet appetitus; qui illicia humanarum voluptatum exacuant, rerumque divinarum, ingerant fastidium? expende, ut lubet, Jansenianæ Theologiæ Præcepta in hanc usque diem luculentissimè tradita: non aliam certè comperies resistendi divinæ Gratiæ, possibilem ex Ipsis viam: Age dum, rogo: Cum quis suaviorem Cœlestium voluptatem sentit, rerumque humanarum fastidium, quæ sunt plenè sufficientes, & efficaces ad benè agendum vires; sentire ne potest suaviorem humanarum voluptatem, re-

rum-

rumque fastidium divinarum, quæ solæ sunt sufficientes vires ad resistendum Gratiæ per se efficaci? Ipsum, quo quisque imbuitur, naturæ lumen docet, nihil hac re fingi impossibilius posse. Hic itaque vel suorum ve horum immemorem reprehendere Montaltium liceat, vel suum illum præconem advocasse; qui ut olim, ipso Magistro, Gratiam prædicavit Thomistarum sufficientem, quæ non sufficeret; ita prædicet jam: Notum omnibus esto, vires ad resistendum Gratiæ per se efficaci hominibus suppetere ex Jansenianâ confessione, tùm cum hominibus vires ad resistendum Gratiæ per se efficaci sunt impossibiles manifestè: O' saperent aliquandò viri Theologiæ non merudıti, & intelligerent, ineluctabilem divinæ Gratiæ efficaciam statui non posse intra vires arbitrii, & principia, undè provenit deliberatio, & bonum meritum; quin ad Calvini hæresim discedatur ~~expresè~~. ~~Hoc~~ cavet accuratè Thomistarum, hoc Societatis Schola; Illa in virium, virtutisque præmotione efficaciam statuente; Ista in supretma, dominâque Dei voluntate, habentis in manu Auxilia, quæ certò novit bonum exitum habitura. Utra probabiliùs caveat? Sit in dubio: sanè cavet utraque: Idcòque ab hæresi, in quam utraque per summam injuriam vocari ab hæreticis solet, quàmlongissimè absunt; ut quisq; novit æquus rerum æstimator; & gravissimaSummorum Pontificum Authoritate liberam utrique suæ sententiæ tuendæ copiam facientium confirmatum fuit.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

POstquam in Thomisticam Gratiæ per se efficacis notionem invecti satis sunt; Gratiam deindè sufficientem iisdem fermè artibus impetere aggrediuntur.

Qui peccant, pro eodem, ajunt, sensu sibi sufficiunt ad non peccandum ex Jansenio, quo sibi sufficiunt ex Thomistis; eodemque etiam sensu (rem enim

 ipsam

ipsam nec verba attendimus) non sibi sufficiunt ex utrisque Doctoribus. Nihil igitur inter utramque Sententiam dispar. Sibi quidem sufficiunt, propterea, quod eâ habent, quæ suapte naturâ sufficerent ad non peccandum, divina scilicet Gratiæ Auxilia, quæ tàm sunt ad non peccandum sufficientia, ut eadem in plerisque existant efficacia, bonumque effectum sortiantur : atque hoc est commune utrique Sententiæ. Præterea sibi non sufficiunt, si sibi non sufficere idem valeat, atque re aliquâ destitui, quæ necessaria prorsus sit ad abstinendum à peccato: quod est quoque utrique Sententiæ commune. Quippè destituuntur, ex utrâque Scholâ Gratiâ ex se efficaci, utrique Scholæ necessariâ, ad abstinendum in tempore à peccato. Quod si Thomistæ sufficere eum sibi dictitent, verèque, propriéque sibi plenè sufficere, qui minimè habet, quæ sibi sunt necessaria, sanè sufficere eum sibi dictitant, quem sibi non sufficere subintelligunt.

Accedit, sic ipsi Argumentationem instaurant, quod Authores Societatis, ingenti illâ quæstionum mole, quas movent, ut Gratiam tueantur versatilem, sive Augustini, & nostram oppugnare Sententiam studeant, sivè vulgatissimam Thomistarum recentiorum, non iisdem modò sententiis, sed iisdem disertè oppugnant verbis. Vel igitur instructa à Molinianis Argumenta propositum efficiunt, & neutra Gratia, quæ peccantibus adest, erit sufficiens: vel propositum non efficiunt; & erit quidem profectò sufficiens utraque. sivè verò efficiant, sive non efficiant illi rem propositam, ex suo tandem ipsorummet Testimonio liquet clarissimè, quod utraque, de Gratiâ sufficiente, Opinio in eadem est causâ.

Tandem piget de tam gravibus divinæ facultatis Institutis scribenti illud unicè laboris, studiique incumbere; nempè, ut confusos verbis ambiguis sensus discernam, vocum vi ritè declaratâ, clarumque faciam, quàm non conveniant, quæ toto distant Cœlo. Commune, ajunt, est utrique Sententiæ, adesse peccantibus

dona

dona Gratiæ sufficientia, pro hoc tamen sensu, scilicet, quæ tantæ sint virtutis, ut eadem, eisdemque interdum donata, efficiant ne peccent.

Sed, ò tandem nostrà abuti patientià desinerent! efficiunt interdùm ne peccent ex Jansenio; sed tùm, cum appetituum æstus deferbuit: efficiunt interdum, nè peccent ex Thomistis; sed tùm, cum præmovens Deus illos impellit in partem meliorem. Quid, amabo, duo hæc commune habeant? Deest, ut subdunt, ex utraque sententià necessarium aliquid, ut ne peccent: ex Jansenio tamen, inquam, desunt vires, justumque Gratiæ interioris momentum faciens vires: ex Thomistis autem, nihil virium necessarium deest virtuti; viribusque plenissimâ virtutis sufficientià comparatis divina deest Præmotio, ad omnem cujuscumque virtutis expeditissimæ motum necessaria: Num nam ista etiam ne minimùm quidem discrepantia inter se esse videantur?

Quod subdunt, mutilum fortasse, & mancum, existimem; addere enim oportebat, à Doctoribus Societatis, Calvini etiam de hac re mentem iisdem ferè modis, & rationibus refelli. Equidem Argumentum, quo instant, idem est, at neque eadem est instandi ratio, ratioque præterea respondendi est multò etiam diversissima. Instant adversus suæ quidem sententiæ Adversarios, Canonum tamen Defensores Thomistas, atque eà instant ratione, ut intra Problematum, & Opinionum fines versari sciant; & quæ ipsis opponentibus videantur magis probabilia, Thomistis, videntur, reponentibus planè improbanda: instant contra Calvinum, & Jansenium simili prorsus argumentorum vi, ita tamen ut pars utraque rem habeat in confesso, & Calvino, Jansenioque probanda ex Patrum mente sit veritas: Societatis Doctoribus absurdus error, & centies recocta hæresis. Consequentes ex ratiocinio propositiones, scilicet Defuit Petro Christum neganti facultas ejus confitendi:

De-

Destituuntur auxiliis Gratiæ, quibus habent opus, quotquot peccant; Nemo Sanctarum legum prævaricator habet Gratiam sufficientem ad mandata implenda, similesque in eandem recidentes sententiam, dum suis conficiunt argumentis Jesuitæ, illas Calvinistæ, Jansenistæque omnes ingenui, ritè, atque evidenter effectas intelligunt, in earum nullà quidquam disceptantes; Quamobrem in eo tantum dissentiunt, quod quæ benè confecta videntur utrisque; Jansenistæ in Augustino, & Patribus; Jesuitæ in Luthero primùm, tùm Calvino, tandem in Bajo, Jansenio, suisque deprehendunt. Profectò, aliquam licet haberent inter se, aut similitudinem, aut conjunctionem, quæ Jansenistæ, & quæ Thomistæ docent; cum tamen Isti consecutiones Canonibus Fidei contrarias, quæ disputantibus eorum Adversariis videntur inde effici, constanter pernegent, nullà in hæresi esse possunt: Sunt autem illi, qui visas easdem, perspectasque candidè concedunt, atque ex animo profitentur.

In hoc cæcutiunt, qui stultissimè disputantes affirmare non dubitant, Sententiam Thomistarum a Doctoribus Societatis temerè satis pro hæretica traduci solere: nec leves de magni inter eos nominis Theologo querelas instruunt, quòd inter Calvini, Thomistarumque placita nihil ferè discriminis internoverit. Sed Ipsos veriùs internovisse oportuit, quid inter Censuram, ac Dissertationem intersit. Habet Author ille in more positum, ubi vel gravis cum Hæreticis Controversia sibi est, vel aliqua etiam cum Catholicis disceptatio, refutare primùm hæreses satis, tùm aliarum etiam Sententiarum mentionem facere, &, quæ maximè videtur probanda, rejectis discrepantibus, statuere. Censor tamen, quo fortasse, aut diligentior, aut felicior extitit nemo, distinctè semper, atque accuratissimè discernit quæ sub hæresim, aliudve censuræ genus cadant, & quæ contra à suis Authoribus tradita, sinè ullo notæ

peri-

periculo in quæstionem vocantur. Igitur post confutatam Calvini hæresim de Gratia, cui nemo possit resistere, si velit, sub Tridentini anathematis clarè positam; finem (quod negligenter attendere minimè liceat) censendi facit: tùm ad disputandum accedens de Thomistarum Gratia ex sese efficaciter præmovente, Gratiam id genus Calvini Sententiæ, non esse quidem affinem, sed affinem sibi videri, disertissimis affirmat verbis. *Videtur*, est verbum, quod Dubitantes, Conjicientes, & probabilia Disputantes usurpamus passim; nemoque in demonstrando dixerit: anguli igitur cujuscumque trianguli videntur esse æquales duobus rectis. Quæ hìc Author ille, quæ passim scribere consueverunt Doctores alii, eadem, iisdemque rationibus nos erga Patres optimè meritos obsequentissimi, opponere identidem solemus, frequenti Theologorum conventu ad disputationem attento, neque ullam unquam illatam offensionem ex hac disputandi consuetudine quisquam vidit. Quin postquam satisfactum disceptationi fuit, repositumque ad rem; solent Patres pro eâ, quâ sunt præditi verecundiâ, & comitate rependere gratias de officio. Aliud sanè definire est, aliud disceptare. Inter Massiliensium passim, & inter Calvinistarum errores, modò Dominicanorum Patrum modò Jesuitarum Sententiam relatam videris à contrariis altercantium partium studiis; nec Religioni timendum est, aut officio. Solæ censuræ, vel benè latæ Religionem statuunt, vel malè latæ Religionem offendunt, promdeque cum partium, aut justâ, aut injustâ offensione feruntur semper.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Scripto, verbo, & quantâ animi sinceritate, inquiunt, potuimus, tùm Romæ, tùm in Europæ totius Academiis jamdiù professi sumus, in toto

Jan-

Jansenii Augustino, nihil nos tueri, & defendere, nisi Doctrinam Gratiæ per se efficacis: hæc ab Augustino primùm disertè tradita, & illustrata; deinde à D. Thoma, Conciliis, plerisque summis Pontificibus, & totâ traditione ità defensa est, ut Innocentius Ipse cum Jansenii Augustinum excutiendum mandavit, Gratiæ per se efficacis Doctrinæ graviter caverit, illamque ab omni notâ intactam servari jusserit. Hinc nostra illa Argumentatio, si nihil habet Jansenius à Gratiæ efficacis Doctrinâ alienum; Caret errore; Sin autem habet, Defensoribus caret. Gratiam itaque efficacem tueri, & pro Augustini sensu tueri, in hæreseos crimine non est, sed est Doctrinam sequi sanctissimam, quæ summam in Ecclesia Authoritatem, & venerationem obtinuit. Hoc igitur Caput erit in dubio, hoc unicè cardine vertenda est quæstio; an scilicet efficaciam Gratiæ pro Augustini, & consentientis Augustino Ecclesiæ sensu afferat Præmotio Thomistarum, an divina illa suavitas, & delectatio, quæ ratione infallibili inducat animos originis labe exulceratos? Certè Gratiam per se, & infallibiliter efficacem in scholas invectam inveniemus nullam, nisi vel eam, cui Præmotio, vel eam cui intimum suavitatis pondus faciat efficaciam. Si ità se habeant ista, & quidem profectò ista ita se habent: En quàm brevi conficimus rem. Doctrina Gratiæ per se efficacis ex Divi Augustini sensu Sanctissima est, & Ecclesiæ commendatissima. Atqui efficacia in præmotione posita involuto, revolutoque Augustino comperitur nusquam, reperitur verò passim in Cœlestis sensus delectatione posita. Hæc igitur, & pro hoc sensu Sanctissima est, & Ecclesiæ commendatissima. Quod aut declarandum, aut efficiendum superest, demonstremus. Thomisticam illam præmovendi vim, omnibus retrò sæculis inauditam, neque Augustino, neque Patribus, & Conciliis in mentem venisse per somnium Sanus dubitet nemo; quid de illa luculentissimè

simè disputarit Suarius, cœterique Societatis Doctores, quid Bellarminus senserit, quas tandem inter ineptias Shcolastici vulgò illam referant, constat. Igitur constat Gratiam ex Augustino per se efficacem, non esse Gratiam, ut recentiores Thomistæ sentiunt, præmoventem. Quid quod eò efficaciorem, quò congruentiorem facit semper Augustinus & prædicat? ad efficaciam autem neque adjuncta, neque congruentiæ conferre possunt, si solam successus præmotionem sequatur. Ingens, omnibusque valens congruentiis Gratia, non præmota, ex Dominicanâ Schola, efficiet nihil; efficietque omnia, ut planum est, debilis admodùm Gratia, parumque opportuna, si præmoveatur. De suavitate autem, quâ Gratia animum expugnat tàm clarè, tàm disertè Augustinus disputat, ut non aliam efficaciæ rationem expresserit, nisi omnes caligemus. Efficaciam loquebatur, scribens in illa Christi Domini verba, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, ubi non voluntate, inquit, modò traheris, sed voluptate; illud Poetæ subdens, *trahit sua quemque voluptas*; exemplumque afferens rami viridis, & nucium, quæ ostensa oves, puerolque eò trahunt, quòd delectant. Istiusmodi verò efficaciam nostri præsertim status esse tùm propriam, tùm necessariam, evidenter conficitur ex inculcato, solidisque argumentis stabilito discrimine auxilii *sine quo*, & auxilii. *Quo*. Innocens quippè natura auxiliis indigebat divinis, sinè quibus nihil certè boni meriti præstare poterat, at viciata jam, pravisque laborens affectionibus, indiget præterea suavi Cœlestis voluptatis sensu, cum quo appetituum æstui temperet, & sequatur meliora. Nisi his verbis, præceptisque distinctè traditis nostram Augustinus expresserit Sententiam, mentem Doctor ille habuisse dicendus est, quam vel explicet, vel teneat nemo. Quamobrem dum Augustinum hæc docentem attendimus, & Thomistas attendimus novum illud præ-

V mo-

motionis genus comminiscentes, dum ab his recedimus, illumque Magistrum profitemur, quî fiat, ut Gratiam tueamur per se efficacem, quam Thomistarum instituta hæreticam probent? O' monstrosam, & nullo unquam tempore exituram hæresim! obsoletas jampridem apud Scholasticos ineptias ridemus, Gratiam ipsis Augustini verbis prædicamus per se efficacem; & in Gratiæ per se efficacis Doctrinâ labare nos non sinè hæreseos crimine ex obsoletis illis, quod Caput est, ineptiis convicti sumus.

Antequam respondeo, cavendum hîc prudenter existimem, ne quâ legentium animos incesserit suspicio, ex ingenio me ista proferre in medium, cum de Thomistarum Doctrinâ Jensenianos fecerim, ita perperam sentientes. Sciant doctrinam hanc prædicari quidem ipsis pro tempore laudatissimam, quando scilicet ex eorum usu esse noverint, verbo, & in speciem sic se gerere. Quod tamen ex ipsa eorum mente, animoque sint, quæ scripsi, oculis velim quisque credat suis. Extant, omniumque teruntur manibus tres primæ ad Provincialem scriptæ Montaltii, sive Pasqualis literæ; quibus licet de divinæ Gratiæ tùm efficacia, tùm sufficientiâ agatur, gravissimâ sanè Theologiæ Controversiâ, & cum eximiis Dominicanæ familiæ Doctoribus agatur; nugis tamen, Jocisque tota res agitur. Postquam lusit ad fastidium Gratiâ super, quam vocat politicè sufficientem, proximæque potestatis ad resistendum gemellam, longam instituit parabolam semivivi hominis in via, cui vires, ad renovandum iter, curari debeant. Vix illam absolvit, cum tandem aliquando convictum facit suum illum Dominicanum, & ex totâ animi sententiâ accepta ex Thomisticâ Scholâ Dogmata ejurantem. Perindè, ac si sapientissimi homines de divinis rebus disputantes, post institutam suæ Theologiæ Seriem, quæ magno semper, inter Catholicas Academias, in honore futura est, è sententia discedere repentè coacti sint,

reci-

recitatâ Montaltii fabulâ. Epistolæ partem ad verbum transcribere ne pigeat.

Quærunt è Theologis Christiani, quæ sit naturæ lapsæ conditio? respondet Augustinus, & qui ab eo sunt, non omnibus, sed iis tantùm Gratiam sufficientem adesse, quibus illam Deus singulari benignitate concesserit. Existunt deinceps Jesuitæ, qui omnibus Gratias verè sufficientes largiuntur. Adhibentur huic Controversiæ Disceptatores Dominicani. Quid igitur illi? Ad Jesuitas se conferunt: hoc pacto numerosiorem efficiunt cœtum: ab illis Gratiæ sufficientis inficiatoribus segregant, omnibus illam liberalissimè concedunt. Quid putes nisi illos à Jesuitis stare? Subsiciunt tandem hanc Gratiam, sinè efficaci, quæ non omnibus detur, semper inertem, & inutilem esse. O' tanti vulneris levè remedium!

Vin tibi in hac sensuum distractione Ecclesiæ formam exhiberi? Hominem cogita, quem peregrè profectum latrones excipiant, & malè mulctatum, multis saucium vulneribus semivivum relinquant. Hic tres Medicos è propinquis locis accersit. Primus exploratis vulneribus, ea judicat lethalia, adeoque saucio denunciat, opem ipsi divinam implorandam, nec aliam recipiendæ salutis viam esse. Post hunc alter assentari gestiens: Macte, inquit, vires sufficientissimas habes, ut ad domum tuam salvus pervenias, tum superiori Medico sedulò deterrenti, mala, & precatur, & parat. Fluctuabat Æger in hoc opinionum divortio, itaque ut tertium Medicum venientem aspexit, manum porrigit, illius ope sperans in certo consilio consistere. Ille primò scrutari vulnera; mox de priorum sententiâ certior factus blandiori Medico se aggregat; & coitione cum eo, factâ primum ambo ignominiosè eiciunt, numero enim præstabant. Inde utriusque tandem esse sententiam colligebat Æger, sed quò certius nosset, de novissimo quærit, quid de viribus suis sentiret? ille autem fidenter

vires ipsius ad iter perficiendum sufficientissimas affirmat. Sentiebat æger debilitatem suam, ergo ad Medicum: Cur ita, inquit, de viribus meis judicas? tùm ille: quia tibias, inquit, integras habes: illæ autem ad ambulandum suaptè naturâ sufficiunt. Optimè, inquit Saucius; sed num nam habeo quicquid virium, necessarium est, ut tibiis incedam? nam quò mihi tibiæ sinè viribus? tùm Medicus, minimè vero, inquit, reipsa nunquam incedes nisi te suscitet, & confirmet Deus. Quid est, inquit, non igitur eas vires habeo, quibus nihil desit necessarium ad rectè incedendum? Multum, inquit, abest, quò minus habeas. Ibi tùm Æger: non ergo tibi cum illo tuo socio convenit, quantum mihi virium adsit? nequaquam, inquit.

Hic tu quid putes illi Saucio animi fuisse? Ultimi Medici absurdam rationem, & ambiguam orationem graviter incusavit; Conjunctionem ipsius cum Altero, quicum re pugnabat, verbo conveniebat, vehementer culpavit; De prioris Medici expulsione graviter questus est. Mox vires suas expertus, quàm debiles essent, his quidem assentatoribus vale dicit, primum revocat, & ei se dedit: ex illius consilio virium suarum infirmitatem ingenuè fassus ad Deum confugit, & quod poscit impetrat. Sic Dei opitulatione incolumis redit domum.

Perculerat hæc parabola Dominicanum meum: itaque obticuit. At ego, quò paulum ipsum erigerem obsecro, inquam, mi Pater, quid vobis voluistis, cum istam Gratiam sufficientem appellare libuit, quam, ut credam insufficientem, jubet fides? Quàm facilè, inquit, ista lenti, & otiosi disseritis. Tu solutus, ego Religiosus: Tu privatus, ego Societati obstrictus: nescis quantum hæc inter se differant! Pendemus è Præpositis; ipsi aliundè suffragia nostra pollicentur: si obluctér, quid me fiet? misertum est; nàm quod vellet, jam intelligebam. Ex quo in memoriam redimus cujusdam

ex

ex sociis ipsius Abavillæ exulantis: quòd se alicubi forticulum præstare voluisset, sed quid, inquam, vestram Societatem adduxit, ut hoc Gratiæ genus in Scholam suam invehi pateretur? alia res est, inquit, Tu hæc impræsentia paucis accipe.

S. Thomæ de Gratia efficaci Doctrinam acerrimè noster Ordo tutatus est, quoad potuit. Quàm ardenter illa prodeunti in lucem Molinæ Dogmati se opposuit! Quos labores in stabiliendâ verâ, & efficaci Christi Gratiâ cœpit! nescis, quæ sub Clemente VIII. & Paulo V, gesta sint. Quorum alter, à damnando Molina, morte præpeditus; hic ab evulgandâ Bullâ, quam in ipsum paraverat, Italiæ turbis retractus est. Exinde arma nostra in vaticanis scriniis clausa manserunt. At Jesuitæ, qui jam indè ab initio Lutheranæ, & Calvinianæ hæreseos multum invaluerant, quòd Populorum imperitiâ in hæreticorum erroribus à verâ S. Thomæ Doctrinâ secernendis abuterentur; non multo tempore sic Dogmata sua dissiparunt, ut populorum fides brevi in ipsorum dominatum venerit. Hinc nos prope adesse vidimus, ut prò Calvinistis traduceremur, aut sic vexaremur, ut nunc Jansenistæ; nisi rigidum Gratiæ efficacis Dogma, sufficientis in speciem Gratiæ temperamento dilueremus. In his angustiis quid fieri à nobis potuit consultiùs, quàm ut veritati simul, & existimationi nostræ caveremus! utrumque ut assequeremur, hanc Gratiæ sufficientis vocem admisimus, ipsam revera sufficere negavimus. Habes, quâ ratione istud contigerit.

Equidem cum hæc diceret, hominis miserebar. Ita tristis, & demissus videbatur. At ille comes meus nihil de severitate remittens. Nolite, inquit, nolite hoc vobis sumere, quasi hoc artificio vestro, veritati consultum sit: jamdiu illa, nisi firmiores habuisset Tutores, tàm imbecillis sustentata manibus corruisset. Cum hostile nomen in Ecclesiam intrusistis, quid aliud, quàm

ipsum

ipsum hostem accepistis? Divelli a rebus verba non possunt. Ubi hæc Gratiæ sufficientis vox radicem egerit, frustra vos inclamabitis, quandam intelligendam esse, quæ non sufficiat. Quis enim vos audiat, aut ferat? Invisa cæteris hominibus interpretatio vestra: simplicius illi loquuntur etiam in levissimis rebus. Interim causam vicerint Jesuitæ, & sancita putabitur ipsorum verè sufficiens Gratia, non illa vestra, quæ sufficit nomine tenus. Sic adversa Scholæ vestræ Doctrina in Fidei caput abibit. Tum Pater omnes, inquit, *omnes in equuleum potius ibimus, quàm sufficiens Jesuitico sensu Gratia sanciatur; talem enim omninò respuit S. Thomas, cujus Doctrinæ defendendæ solemni Sacramento nos obstrinximus.*

Sed ille meus Amicus; immortalem, inquit, *laudem vester Ordo repererat, vos illam pessimè dilabi sinitis. Gratiam illam abjicitis Tutelæ vestræ concreditam, quam à mundi primordio nullus abjecit. Hanc victricem, dico, Gratiam, quam sperarunt Patriarchæ, Prophetæ prædixerunt, attulit Christus, quam prædicavit Paulus, illustravit maximus Patrum Augustinus, cæteri deinceps post Augustinum, & maximè postremus Patrum Bernardus asseruit, quam validissimè defendit ille Scholarum Angelus Thomas, quam ab ipso Ordini vestro transmissam, tot deindè ex familiâ vestra Religiosi præsertim coram Clem. VIII. & Paulo V. Apostolicæ Sedis Antistitibus, tantâ Gloriâ propugnarunt. Hanc ob vilissima commoda Gratiam deseritis, quæ vobis tanquam Cœleste depositum commissa fuerat, ut in Sancti Ordinis perpetuitate perpetuos haberet Prædicatores, & Propagatores sui. Nunc alias in ipsius Tutelam manus armari decet, nunc interritos Augustini discipulos exoriri par est; qui sæculi vinculis exoluti, uni Deo serviant, unum in animo Deum habeant. Potest Gratia Dominicanis defensoribus carere: Defensoribus carere non potest; ipsa sibi milites omnipotenti virtute fingit,*

fingit, & format. Expeditos illa quærit animos: sed ipsa expedit, ac terrenis cupidinibus liberat, veritatis lucem repellentibus; puros poscit, & puros facit. His impendentibus malis Vestri maturè, mi Pater, occurrant, caveantque, ne veritatis hujus, quam jamdiu orbi prætulere, face sibi detractâ, ipsi Coronæ ac lucis expertes, in tenebris relinquantur.

Adornabat etiam plura dicere: incaluerat enim vehementius. At ego consurgens interpellavi. Certè, inquam, mi Pater, si quid in Galliâ possem, hoc curarem publicè à Præconibus prædicari. Notum omnibus esto, cum omnibus adesse Gratiam sufficientem Dominicani dicunt; id eos significare velle, non omnibus adesse Gratiam, quæ reverâ sufficiat. Hoc facto tum vobis sufficientis Gratiæ buccinandæ fieret potestas; at priùs nullo modo. Hic nostræ disputationis finis.

Quam nihili sint nugæ istæ, quas, ut puto, ad suarum discipularum gregem erudiendum tam bellè adornare Author debuit, clarum facere, distinctisque modis demonstrare sic instituo. Jansenistæ, ut Wendrockii habet fabula, qui afflictos vulneribus homines sincerè monent, pièque curare student, Primi Personam gerunt in scænâ Medici: Alterius Jesuitæ, qui infirmæ naturæ vulnera videant licet, & sentiant, non attendunt, ægrosque prò sanis habent; Tertii, Thomistæ, qui Primo consentiunt ex animo, verba nihilominùs usurpant impropria, tempori servientes. Benè est; at verò ad brevem interrogatiunculam, quid diversæ admodùm Doctrinæ utrique Authores respondeant, habeantque in promptu, attendamus. Peto, ne minimùm quidem à positâ discedens parabolâ: Cum fuerint jam Divinâ ope integræ Ægro restitutæ vires, & Gratia interior morbum vicerit, confirmatus ille, valensque viam ne capesset? An aliud quidpiam expectet, quod sit præterea necessarium ad viam capessendam? Iter certissimè perget institutum, consentientes, ad hæc reponent

nent Jansenistæ, quibus victrix Gratia suo carere effectu nunquam potest. Ipsum ipsum hunc antea Ægrum, Divinâ deinde ope pristinæ jam sanitati restitutum, iisdem prorsùs inferioris Gratiæ donis præpotentem, Doctoribus Thomistis offero; & quid sentiant, rogo, de via per hunc perfectè, plenèque confirmatum capessenda? Suæ quidem, quam compertissimam habent, Doctrinæ memores, viam capesset, inquiunt, si ita benè valenti divina accesserit præmotio; & hac sinè, utut optimè viribus valet, capesset nunquam. Nempè ut valentissimo cuique est opus motu, qui longè alia res est a viribus comparatis ad motum; ita opus quoque est Dei præmotione, quâ sinè, non secus, atque sinè motu, possibile non est, iter reipsa institui; Duo hæc adeo inter se diversa duorum medicorum responsa; quàm singula sint ad Authoris sui doctrinam accommodata, fugit neminem; quæ tùm demum cohærere inter se poterunt re, & sensu; cum re, atque sensu affirmatio, & negatio inter se cohæreant.

At nugari Theologos in tanti momenti Controversia; quàm turpe sit, quis non intelligat Sanus? seriam itaque accipiant responsionem; & quoniam Augustini Authoritate mirum quantùm nitatur hæc Secta; necesse habeo fusiorem, quàm mei moris sit, Responsionem afferre. In explicanda divinæ Gratiæ efficacia attendere oportet duo, quæ apud Jansenianos, & Calvinistas confusa passim reperies; sed apud Catholicorum Scholas accuratissimè distincta. Divinæ Gratiæ auxilia docendo, & movendo non secus, atque oratio ad suadendum apta, efficiunt rem; suadentque interdum ita, ut persuadeant etiam. Hinc vis ipsa suasiva auxiliorum facta est efficacia; & quò eadem sunt ad suadendum validiora, eò esse dicuntur efficaciora. Quod si suasiva vis in dicendo tanti inter homines valet, ut renitentes quoque animos sæpè inducat; & Poetæ suas fabulas ad docendum sapienter accommodantes, Numini eloquen-

tiæ

tiæ Magistro humanum cor posuere in manu, aureis devinctum Catenis; quis adeò desipiat, (Divi est Augustini exclamatio), ut credat suis Deum suasionibus rebelles voluntates inducere non posse, cum velit? Deus igitur illustrabit mentis aciem, animique affectus modis illis commovebit, qui aptissimi sunt, ad bonas hominum voluntates obtinendas; suarumque suasionum, seù auxiliorum effectum expectabit, boni successus infallibili ratione prorsùs securus. In ista efficaciæ notione conveniunt Theologi, quod sciam, omnes; cum res sit explorata, in hominum corda suadendo illabi Deum: omniaque scienti, & potenti deesse non posse suadendi vim, si illa uti libeat, cui nulla animi perversitas obsistat; quando eloquentissimorum quoque hominum oratione idipsum aliquando effectum esse videamus.

Porrò de eadem, quàm sæpissimè meminit Augustinus, & propè infinita sunt, quæ in hanc sententiam ab Ipso repetita afferri possunt; cum divinæ Gratiæ effectum illis identidem describat verbis, quibus ipsam ipsam, quam modò attuli, Gratiæ in suadendo efficaciam ob oculos ponit.

Pro hac tamen acceptione infallibilis ad summum, & esse, & dici poterit successus Gratiæ efficacis; conjunctionem verò cum effectu habere omni prorsus ratione necessarium, dici neutiquam poterit: cum efficacia in suadendo posita, quanta quanta est, nunquam fines egrediatur necessitatis, quam moralem nuncupamus.

Quamobrem pro itiusmodi Gratià cum libertate arbitrii conciliandâ, nullum ferè quæstio Theologis negotium facesseret: quippè eam esse constat, cui licet obsistat reipsa nemo, nihilominus nulla adest ineluctabilis prorsus necessitas, ne obsistere tandem quis possit. Hinc nemine, quod sciam, discrepante, arbitrium sui potens, & integrum relinquit.

Scio Theologos esse nec paucos, nec contemnen-

dos, qui ut divinæ Gratiæ donis, quæ Deus habet in manu, successum tribuant infallibilem, Sanctorumque Prædestinationem ad antecedentem Dei ultrò miserentis voluntatem referant; non aliam sibi viam ineundam esse existimarunt, quàm efficaciæ modò declaratæ. Hac quippè solà, ut ajunt, stat primò Summi Dei Imperium, & dominatus, sortes hominum pro suà providentià versantis; & stat quoque secundò integra, sinè arbitrii offensione, vis humanæ voluntatis.

Sed utinam! ut posterius, ita etiam prius illud, probabili aliquà ratione, stare posset. Neque enim oporteret crucem ingenio figere, easque instituere quæstiones, quæ in difficultatibus ponerentur multò difficillimis.

Aliam tamen, longèque diversam efficaciæ acceptionem necesse est stabilire; quæ videlicet in eà ponatur conjunctione divinæ Gratiæ cum liberâ benè merentium voluntate, quæ sit modis omnibus, & metaphysicè necessaria. Verùm enim verò huic solùm conjunctioni stabit tùm certissima, qualis sinè dubio statuenda est, Dei Scientia, tùm Decretum de futuro bono merito prorsùs ineluctabile: quæ quidem Scientia, ac Decretum solâ morali necessitate niti nequit. Hæc nempe necessitas, quæ ponitur in vi Gratiæ interioris efficaciter suasivæ, cùm bona merita modis quidem infallibilibus faciat futura, modis tamen omninò necessariis futura non faciat; eveniet inde, ut efficax Dei voluntas suo aliquando carere successu possit, successumque conjiciat veriùs divina mens fore, quàm sciat; quæ sanè quàm sint absurda, & ab infinita Summi Dei Providentia aliena, nemo non videt.

Habent itaque Theologi modò dicti tùm Scholam Catholicorum universam, tùm Augustinum Magistrum in eo, quod vi luminum, affectuumque suasivæ tantum aliquando tribuant, ut successum inde conficiant, ferè infallibilem: in eo autem, quòd his quoque modis

Præ-

Prædeſtinationis negotium peragatur, non habent. Conſentientibus poſt Auguſtinum Theologis fermè omnibus in illo efficacium donorum genere aſſerendo, quo in bonam quiſque miſericordis Dei benevolentia voluntatem inducitur, & quo *certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*.

Quàm ſæpè, & quàm multa de Omnipotentiſſimâ Dei voluntate, corda hominum habentis in manu, in epiſtolis præſertim contra Julianum, Auguſtinus diſputet, in aperto eſt. Atque in hac divinæ Gratiæ efficaciâ explicandâ, quam tantus ille Doctor disertè docet, totus difficillimæ hujus in Scholâ Controverſiæ cardo vertitur.

Quantùm inter primam illam, atque hanc alteram efficaciæ rationem interſit, neminem ſanè lateat: ſed tamen Janſenianos divinorum Auguſtini operum ſcrutatores, ſi Superis placet, egregios, latet omnes. Quaſi verò, quiſquis vel negligenter attenderit luculentiſſimam his ſuper quæſtionibus Auguſtini Doctrinam, planè non videat, ibi efficaciam ab eo fieri Gratiæ intimam, ubi ad ſuadendum quidem aptiſſimam, non omni tamen ratione inelnctabilem facit: ubi verò omnipotentiſſimam facit, ibi efficaciæ vim, non ex ipsa veluti auxiliorum ſubſtantia, ſed aliunde derivare.

His ritè perſpectis, ſtudia licet in contraria diſceſſerint Catholicorum Academiæ; comperta nihilominus habent duo: primum; neceſſitatem priore illa efficaciâ inductam deliberato arbitrii, quem nentiquam offendit, uſui antecellere: ſecundum; quam contra inducit neceſſitatem efficacia poſterior, illam certè conſequentem, eâque, quæ probabiliſſima cuique viſa eſt, ratione conſequentem ſtatui oportere, ut libera ſibi humani facultas arbitrii conſtare poſſit.

Hæc quidem illæ in dubium non vocant, erroremque eſſe ajunt ſeu Calvini, ſeu Janſenii propriiſſimum, ſuaſiones divinas facere non primo ſolùm, ſed altero

etiam efficaciæ genere ex ſe efficaciſſimas : propterea quod vitiatæ jam naturæ ea ſolùm infuſi amoris ſuavitas mederi poteſt.

Nec negaverim magnâ, & ferè inextricabili indifficultate rationes poni, quibus auxiliorum efficacium Diſtributor, pleneque Dominus Deus ſtatuatur; neceſſitas tamen boni meriti, quæ inde fit, arbitrii uſum conſequatur. Quid enim verò Homines faciant? Sacrarum literarum Oraculis, Patrum authoritate, & doctiſſimorum hominum ſcitis catholica Schola niti ſic debuit, ut aliis licet aliter diſputare libitum ſit, caveant tamen religioſi omnes tùm libero hominum arbitrio, tùm ſummæ Omnipotentis, dominique Dei Providentiæ.

Fuere, fateor, qui nodum hunc ſcinderent, Gratiæ efficaciam, & prædeſtinationis negotium ex hominum arbitrio, quantùm ſatis eſt, adjuto, pendere arbitrantes. Quam quidem opinionem, ut ut illa probabilis, nullaque dum cenſura notata eſt, melior Theologorum pars minimè probat, in contrariam, ut videtur, accedente Sententiam Patrum Doctrinâ, in divinis, quod caput eſt, ſacrarum literarum Oraculis, diſertiſque Epiſtolæ ad Romanos ſententiis poſitâ.

Tres igitur, longèque inter ſe diſcrepantes, quas ſciam, Sententiæ vigent in Catholicorum Scholâ. Prima eſt Thomiſtarum, quam ſuâ, ut puto, in luce ſatis collocavimus. Altera magni Scoti, & ſuorum, qui certum Gratiæ efficacis ſucceſſum colligunt ex divinâ quidem, dominâque voluntate, cum libero tamen arbitrii Jure ſic temperatâ, ut nihil boni velit liberè arbitrium, quin Deus definiat : nihilque boni Deus definiat, niſi quod arbitrium liberè velit. Tertia denique Doctorum Societatis, divinorum auxiliorum efficaciam ex certiſſimâ Dei ſcientiâ derivantium. Scit, inquiunt, Deus quem exitum ſint habitura, quæ conferre poteſt ad benè merendum, auxilia, & dona, eorumque genera,

nera, & series comprehendit planè infinitas. Hæc inter nunquam non videt alia, & sinè fine, quorum nullus esset successus; alia, sinè fine etiam, quæ successum haberent. Prælucente itaque explicatâ modò scientiâ de vario auxiliorum possibilium eventu, summus & liberrimus suorum donorum Dominus, & Distributor miseretur, cujus vult, donans auxilia successura, idest, pro Societatis sensu efficacia; & quem vult, ex inscrutabilibus Providentiæ Consiliis, indurat, impertiens nihil effectura boni, idest, pro ejusdem Scholæ sensu inefficacia.

An verò nova sint ista, & ab antiquo mota, quæ Societatis Doctores in Scholam invexere, ut stultissimè disputabat in Sorbona Arnaldus? An antiquiorum Patrum nitantur Doctrinæ disertissimis verbis expressæ? ut quisque tam clarè videat, quàm quæ oculis cernimus; satis sit Sententiam retulisse à Joanne Chrisostomo sæpiùs repetitam. Cum peteret, nec satis prudenter, nescio quis; cur non longo ante tempore, Paulus fuisset vocatus? Respondet (Homil. 4. de laud. Pauli) *Nec velis curiosior esse, sed concede incomprehensibili Dei providentiæ, saluter Hominum notis sibi temporum opportunitatibus gubernari.* Tùm affirmans, non eo à divina Providentia vocatum fuisse tempore, quo videbat obstitnrum, hæc subdit: *Neque verò putes, benevolentiorem se Deum præbuisse erga Petrum, Andream, Joannem, & Jacobum, quos initiò vocaverat: tunc enim* (Hom. 31. in Matth.) *ad illos accessit, vocavitque, quando obtemperaturos sciebat.* Quamobrem concludit, ut vocatio succederet secundùm propositum, fuisse Paulum vocatum in tempore: *Nam Deus ab incunabulis.* (Hom. 65. in Matth.) *voluisset; sed quia illum renixurum sciebat, tunc, voluit, cum animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat.*

Hæc attendentes apud Scholam vulgatissima facilè comprehendent, quàm nullo Jure Janseniani præ-

de-

destinationis gratiosæ, Divinique in hominum arbitrium dominatus acerrimos se defensores prædicent. Thomistæ, Scotistæ, Jesuitæ in hanc prorsus mentem convenimus omnes cum Jansenio ipso, cum ipso Calvino. Illud tamen est dispar, illud novum, novasque inter hæreses referendum, quod asserto, & stabilito Dei in corda, fortesque hominum imperio, vias Catholici inveniamus; quibus bona merita libero tribuantur hominum arbitrio; vias autem Jansenius invenerit, quibus bona merita voluntati hominum tribuantur non coactæ, aut parum, aut nihil à Calvini viis dissidentes; qui bona hominum opera voluntati itidem tribuens non coactæ, bona merita minimè nuncupanda censet.

Neque verò me longè digressum ab Instituto quis putet. Ecce enim expeditos jam seriò respondendi modos ad jocos, nugasque oggestas; Sanè, non unius, vel alterius Theologi, sed Scholæ universæ sensus sic habent, ut retulimus: Catholicusque Doctor existit nemo, qui Divis Augustino, ac Thoma Magistris usus ineluctabilem prorsus ejus gratiæ, quæ verè sufficiat vim non respuat, & hæreticus ne sit, ad Gratiam interiorem aliundè, pro suâ quisque Sententia, efficiam accedere non contendat. Huic contra Scholarum omnium sensui, necnon Tridentini Canonibus Calvinus Author obstitit, non aliam de Augustini, ut putat, mente pro hoc statu Gratiam interiorem docens, nisi per se efficacem. Utri ergo standum authoritati sit; Jansenianorum, siquidem æquo tandem animo judicent, arbitrium esse velim.

Quid, quod mentem Augustini suis interpretationibus affecutos Jansenistas non esse, duo, quæ ipsa sunt suæ Theologiæ fundamenta, affatim probant?

Primùm est, quòd ex diversâ Augustini philosophandi ratione de utroque naturæ statu colligere ipsis visum fuit, Prædestinationis negotium in natura lapsâ

à Dei

à Dei miserentis benevolentiâ pendere totum ; in integrâ autem ab ipso benemerentium arbitrio ; atque hanc prædestinandi rationem , innocentis naturæ propriam , Molinâ Principe , ut per summam ipsi dictitant , an invidiam ? an inscitiam ? judicare non ausim, ad redemptorum quoque hominum salutem à Jesuitis translatam fuisse.

At verò Augustinus , nisi cœcutire velimus omnes, distinxit quidem auxilia , & dona uni , atque alteri statui concessa ; ordinem tamen seriemque auxiliorum , quâ finem quisque , & summum bonum certò assequitur , & quæ ipsa est prædestinationis definitio tradita ab Augustino , in Omnipotentis manu esse , sinè ullâ prorsus exceptione , & universè centies repetit ; sive hominum , sive Angelorum sortes loquatur , solo , summoque Dei arbitrio , pro ea quam fusè Sanctus Doctor docet , ratione , discernendas l. 11. de Gen. ad lit. c. 19. sic habet. *Quis audeat credere , aut dicere , ut neque Angelus , neque homo caderet , in Dei potestate non fuisse ?* Stantes itaque Angeli voluntati solius Dei gratiosæ acceptum referant oportet , Augustino teste , quod steterint. L. 10. de Civ. Dei Angelos loquens bonos , & malos : *Istis* , inquit , *malâ voluntate cadentibus , illi amplius adjuti ad eam Beatitudinis plenitudinem , unde se nunquam casuros , certissimi fierent , pervenerunt.* Si amplius adjuvari liberale est donum Gratiæ melioris , Angelique sic adjuti finem certò obtinuerunt ; Angelorum certa , & redemptorum hominum salus iisdem planè rationibus ex Dei ultrò miserentis voluntate pendet. Ibidem l. 11. lucem , ac tenebras bonis , pravisque Angelis accommodans : *Divisit Deus* ; ait , *lucem , ac tenebras ; solus quippè ille ista discernere potuit ..... Inter illam verò lucem , quæ sancta societas Angelorum est , Illustratione veritatis intelligibiliter fulgens , & ei contrarias tenebras , idest malorum Angelorum , aversorum à luce justitiæ , teterrimas ,*

suas mentes, Ipse dividere potuit .... Quod ergo hominibus ab Apostolo dictum legimus, *quis te discernit?* Hoc Angelis etiam dictum putemus; Augustinus docet; Sed quid plura? Et ne quis me ista, aliaque sexcenta, quæ afferri possent in hanc rem, ex ingenio interpretatum existimet; libet subdere Fulgentii Sententiam, quem Augustino Magistro religiosissimè usum scimus. l. 2. ad Trasimundum c. 2. *cum verò*, inquit, *quædam pars ejus de cœlestis beatitudinis culmine in imam, perpetuamque cernitur devoluta miseriam. Beato Petro dicente, quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni tradidit in Judicio puniendos reservari, profectò cognoscitur, uniformi cunctos opprimi potuisse ruinæ consortio; nisi, quos vellet à casu pravitatis virtus illa defendere, quæ sola naturaliter mutari, degravarique non posset. Ipsa igitur eadem homini reparando fuerat necessaria: quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque Gratia operata; in hoc ut surgeret; in illo, ne caderet. in illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit.*

Cum hæc scribat Augustinus, hæc Fulgentius, Theologique, quod sciam, omnes, Bellarminus præsertim, & Petavius in Patrum Doctrinâ eruditissimi. Iidemque Prædestinationem ut defendant gratiosam, nec, nisi ad bene perspectam mentem Patrum, gratiosam eamdem faciant, & latepatentissimam: Angelosque excipiat nemo. Contra verò, cum in eo præsertim hallucinatus sit Calvinus, quòd non satis internoverit, auxiliorum dona pro uno, atque altero statu differre ex Augustino; dominam verò, & gratiosam Dei voluntatem tùm in prædestinando, tùm in efficaciter movendo, & discernendo non differre; judicent viri boni; an verba, & sententias Augustini teneant

neant Jansenistæ nostri temporis; an Calvini Institutiones, detortamque ab eodem librorum Augustini interpretationem in oculis, in animo habeant, & sequantur.

Alterum est, quòd nomine. *Adjutorii Quo*, in Augustini libris, de correptione, & Gratià præsertim, sæpissimè usurpato illum divinæ suavitatis sensum significari volunt, qui bonam voluntatem ex naturali necessitate obtinet, si appetituum illecebris præstet. Nota quidem sunt illa multa, quæ hàc super divisione Adjutorii *Sine quo*, & Adjutorii *Cum quo* Theologi nostri disputant. Nempe Alii censent, vim illam, quâ interior Gratia voluntatem inspirat, nuncupatam ab Augustino fuisse *adjutorium*, *Cum quo*; & quæ mentem illustrat, *Adjutorium*, *Sinè quo*: atque idcircò ex ejusdem Doctrinâ satis Adamo fuisse adjutorium hujus generis, ne peccaret; ~~quia pro statu naturæ~~ integræ, luce quidem erat Opus, quâ pateret, quid sanctè, pièque agendum esset; bonorum verò affectuum concitatione non erat; voluntate tunc potentissimis divinarum virtutum donis adornatâ. Contra verò, vitiatâ jam nunc naturâ, donorumque omnium expertè, alteram præterea requiri Gratiæ interioris vim, quæ pravis medeatur affectibus, & voluntatem inducat.

Docent Alii, vocibus illis hanc donorum discrepantiam animadverti ab Augustino: videlicet alia fuisse dona Adamo atque Angelis collata, quibus poterant non cecidisse, qui reipsâ ceciderunt, alia, longèque diversa, quæ impertiuntur Electis per Christi Gratiam, ut sit ipse Primogenitus in multis Fratribus, & quorum munere, possint licet cecidisse, sub vitæ nihilominus finem certissimis rationibus stabunt, æternumque cum Christo vivent, qui non perdidit *Ex eis quemquam*. Qui ita sentiunt, doceat licet Augustinus expresse, sub auxilio *Quo* tùm posse stare homines,

tùm ſtare reipſa, quin neceſſe prorſus eſſe, ut ſtent, nullàque poſſibili ratione futurum unquam, ut cadant, nihil inde Catholicorum Dogmatum de libero hominum arbitrio, boniſque Sanctorum meritis, veritati timent. Sanè Theologi conſentìmus omnes, quod magnum perſeverantiæ donum, quod Sanctorum Hominum delectus, quod illa divinorum donorum Providentia, quâ Electi ſalutem conſequuntur, iis ſit rationibus poſita in Domini Omnipotentis manu, ut infallibilis quidem ſit miſericordioſiſſimæ, dominæque voluntatis effectus, nemoque non reipſa, ejuſmodi donis acceptis, ſub finem ſtet; nulla tamen inde fiat libero benemerentium arbitrio neceſſitas, niſi conſequens: conſentìmus, inquam omnes; tametſi pro ſua quiſque opinione conſentimus. Atque hàc quidem interpretatione nulla ferè eſt ad Auguſtini mentem accommodatior, ut clarum admodum faciunt propoſitæ ab ipſo antea quæſtiones, unde occaſio ejuſmodi reſponſioni facta fuit, accuratæque Adjutorii *ſine quo*, & *cum quo* explicationi.

Hanc quoque ipſam ſibi maximè ſuaſam habet Theologus, omni divinarum facultatum genere ornatiſſimus: ſuoque dignam ingenio ſcribenti mihi animadverſionem innuit, fuſiorem ſuper his Diſſertationem mox in lucem prolaturus. Statuitur, inquit, ab Auguſtino auxilium *Quo* Prædeſtinatorum pro hoc noſtro ſtatu ita proprium, ut, non unam aliquam Gratiam complectatur, ſed omnes, vel externas, vel internas, quibus illi perveniant ad ſalutem. Triplex quippè Gratia per idem auxilium *Quo* præparari Adultis diſertè dicitur, regenerans ſcilicet, juvans & remunerans. *Nam priùs homo, ut adverſus hoſtem Diabolum pugnare queat, ab ejus eruitur poteſtate: deinde, ſi vita eſt in carne prolixior, certans adjuvatur, ut ſuperet: poſtremò Victor beatificatur, ut regnet.*

Alii

Alii tandem, verbis hisce, ab Augustino usurpatis divisionem illam subesse volunt omnibus compertissimam, quâ passim Gratiam interiorem dividimus in plenè sufficientem, & efficacem. Atque unus idemque his Authoribus est labor conciliandi cum libero hominum arbitrio Adjutorium *Quo*, quod loquitur Augustinus, atque illam Gratiæ efficaciam, de quà graviter disceptatur in Scholà.

Neque verò miror, quod Jansenianis ista non placeant, quodque tam nulla ab ipsis habita sit earum interpretationum ratio, ut ne mentione quidem illas, nedum confutatione aliquâ dignas existimarint. Hoc verò miror, quod earundem, quas Catholici sequimur; vel obliti, vel ignari, illam ut verè, maximèque propriam adsciscant omnes, quam Calvinus Princeps in suis Institutionibus luculentissimè tradidit. Sui igitur judicii tenaces pro adjutorio, *Cum quo*, hujus status proprissimo Gratiam subintelligunt, quæ suaviùs mulcendo obtineat animum, voluptati post accisas jam vires servientem. Quando, nisi fortè caligemus omnes, humanos animos pro hoc statu tùm luminibus tùm affectibus divinis suaderi semper, interdum persuaderi etiam in Augustino legimus passim; voluptati tamen illos ita devotos esse, ut suaviore alterutrius delectationis sensu ex naturali inclinentur necessitate, voluto, revolutoque ad sillabam toto Augustino, legimus nusquam. Tribuit quidem delectationi plurimum multis in locis, ut colligitur ex effato illo: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, aliisque sexcentis. Sed hoc quoque miror, quod a nuperis Augustini discipulis non ita ab Hipponensi Augustino intellectum illud esse videatur, ut catholicorum Schola post D. Thomam docet universa; videatur autem eâ, & religiosiùs quidem, exponendum ratione, quà de Calvini Sententia Iprensis exposuit Au- *contra Jul. li. [illegible]*

 gusti-

ſuſtinus. Quaſi verò, quod ait Sanctus Doctor de liberà delectatione, quâ ſcilicet voluntas objectum deliberatè approbat, adamatque, hoc accipiendum de indeliberatâ ſit: atque ubi Idem affirmat, ſubditas voluntatis imperio facultates, exequi neceſſariò, quidquid voluntas dominans juſſerit; ibi ex indeliberatâ delectatione (ſive cœleſtis illa ſit, ſive terrena, modò ſit ardentior) voluntatem ipſam in conſenſum neceſſariò pertrahi affirmavit.

Verùm hæc mitto: atque, ut Ipſi dictitant, ſic habeat res, Iprenſiſque Auguſtinus nè minimum quidem abhorreat ab Hipponenſi. An non, ſi relatis tanti Doctoris verbis Janſenianus ille ſenſus ſubſit, diſſentientem ſibi comperiamus Auguſtinum, perinde atque ſibi ipſi ſunt Janſeniani diſſentientes, nec vident? Equidem peto: utrumque ne Gratiæ interioris genus, tùm ſcilicet luminibus afferendis, tùm affectibus concitandis valens, impertitum eſſe hominibus Ipſi velint pro utroque ſtatu, atque ex primævæ deinde labis morbo contigiſſe, ut Gratia bonum animi affectum movens, tunc illum inclinet, cum ſuaviote voluptatis divinæ pondere pravis, & in contrarium obſiſtentibus affectibus præſtant? an verò velint, pro ſtatu naturæ integræ ſolis luminibus adjutos fuiſſe homines, divinorum affectuum auxiliis tunc minimè indigentes? Si fortè hoc alterum affirment Ipſi; interpretationem quidem, quæ probatis Authoribus placuit, tandem probabunt, ſed tamen, quæ de nullo ſuæ Sententiæ uſu fuerit: ſin affirment primum; planè conſequitur, nullam fuiſſe poſſibilem pro ſtatu innocentiæ Gratiam, quæ efficaciſſimè animum non inclinaret, proindeque neque Adamum, neque Angelos quidquam peccare potuiſſe. Quippe, ſi pro vitiatæ naturæ ſtatu, divina ſuavitas pravo, & obſiſtenti appetitui ſuâ præſtans vi exiſtit per ſe efficax; an non efficaciſſima exiſteret

fieret suavitas, quæ nullam pati posset pravorum appetituum obsistentiam? Numnam, positis in una lance 5. pondo, & 10. in alterâ hæc inclinetur; non inclinetur autem, sed exactum sibi constet examen in trutinâ, si 10 quidem statuantur in unâ, & altera inanis relinquatur?

Quamobrem intelligant tandem hujus Sectæ Authores, quàm infelici versentur in causâ, cum inter Theologos seriò agitur, rationibus accommodatis ad rem: ad nugas ergo, ad fabulas se recipiant, quibus vulgi gratiam sibi comparent; cum hoc enim salvere eos jusserint Viri.

FINIS.